Omaggio dell'autore.
10 Nov. 1907

Bachgen-Augustine

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/compendiumjurisr0000paug

COMPENDIUM

JURIS REGULARIUM.

EDIDIT

P. AUGUSTINUS BACHOFEN, S.T.D.,
Benedictinus Abbatiae Immac. Conceptionis B. M. V.,
Conception, Mo., U. S. A.



NEO-EBORACI, CINCINNATI, CHICAGIAE:
BENZIGER BROTHERS,
Typographos Sedis Apostolicae.
1903.

26478

Nihil Obstat.

✝ FROWINUS, O.S.B.,
Abbas.

Imprimatur.

✝ JOHN,
Archbishop of New York.

NEW YORK, January 17, 1903.

Copyright, 1903, by BENZIGER BROTHERS.

PROOEMIUM.

Si quid forsitan ad prooemii instar foret dicendum, imprimis ante oculos habendum esse titulum huius libri dixerim. Vocatur "*Compendium*" ut innueretur non omnes quaestiones particulares hic solutas esse vel discuti potuisse; ast maioris momenti et scitu necessarias hoc in libello invenire saltem quandam considerationem putamus. Quem inquisitionis studium ad ulterius penetrandum subjectum impellit, ad auctores sat abundanter ad calcem adductos referimus. Notetur dein "*Juris.*" Nam, ut statim apparet lectori, naturam compendii excederet longior circa uniuscuiusque Ordinis vel Congregationis privilegia et peculiares Constitutiones inquisitio. Jus proin refertur ad communes Ecclesiae quoad statum religiosum leges. Observa demum "*Regularium.*" Imprimis enim attendendum fuit ad Instituta cum votis solemnibus, qui processus fundatur tum in historia tum in mente S. Matris Ecclesiae. Verum minime omittendae fuerunt Congregationes religiosae tum propter numerum earundem tum propter aestimationem, qua gaudent in sinu Ecclesiae, tum propter relationem ad statum religiosum. Forsitan quis putaret nimis breviter — unum caput integrum illis devovimus—locutos nos esse circa istas

Congregationes. Putamus tamen nihil essentiale nostram attentionem, quamvis brevissimam, effugisse. Ceteroquin defectum tollent auctores quos ad ulteriorem studiosorum inquisitionem attulimus. Interim ex hoc qualicunque opere lectores, qui diligenter istud pervolverint, fructum aliquem capturos fore sperat.

AUCTOR.

CONCEPTIONE, MISSOURI, U. S. A.
Die S. Joannis Baptistae 1902.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

PAG.

PROOEMIUM. 3
INTRODUCTIO. 9
CAPUT I. De Natura Status Religiosi. 17
CAPUT II. De Ordinum et Domuum Erectione. . . . . .
Articulus I. De novorum Ordinum institutione. 26
Articulus II. De erectione novorum conventuum. 31
CAPUT III. De Ingressu in Religionem. 41
Articulus I. De Novitiorum admissione. 41
§ 1. De admittendis. 50
§ 2. De his qui possunt admittere. 58
§ 3. De requisitis ad admissionem. 60
Articulus II. De Novitiatu. 66
§ 1. De canonica Novitiatus erectione. 67
§ 2. De Novitiatus tempore 68
§ 3. De Novitiatus loco. 74
§ 4. De Novitiorum disciplina. 76
§ 5. De Novitiorum juribus et privilegiis. 78
Articulus III. De Professione. 82
§ 1. Requisita ad validitatem professionis 83
§ 2. De effectibus Professionis. 92
§ 3. De invalida Professione. 98
§ 4 De Monialibus. 107
CAPUT IV. De Obligationibus Religiosorum. 107
Articulus I. De obligatione quoad vota. 112
§ 1. De obligatione ex voto paupertatis. 113
§ 2. De voti castitatis obligatione. 127
§ 3. De voti obedientiae obligatione. 127

PAG.
Articulus II. De obligatione quoad observantias. 135
§ 1. De observantia Regulae..... 136
§ 2. Obligatio Regularium ad officium divinum. . 136
A. De officio divino..... 138
B. De celebratione Missae..... 143
§ 3. De obligatione deferendi habitum..... 146
§ 4. De quibusdam negativis obligationibus..... 148
§ 5. De Clausurae obligatione..... 151
A. De Clausura virorum..... 152
B. De Clausura Monialium..... 159
C. De accessu ad Moniales..... 166
Caput V. De Regimine Regularium ad Intra et Extra... 170
I. De Regimine ad Intra 174
Articulus I. De Subjecto Regiminis..... 174
§ 1. De electione Praelatorum..... 175
§ 2. De electione Abbatissarum 210
§ 3. De postulatione..... 214
§ 4. De praesentatione..... 215
Articulus II. De objecto Regiminis ad intra..... 220
De exemptione Regularium..... 220
§ 1. De potestate dominativa..... 224
§ 2. De potestate jurisdictionali..... 226
§ 3. De potestate coercitiva..... 246
§ 4. De potestate liturgica..... 252
Articulus III. De Capitulis..... 257
Articulus IV. De Visitatoribus..... 259
Appendix: de Sacrae Scripturae lectione etc..... 260
II. De Jure Regularium ad Extra 263
Articulus I. De Regularium habitudine ad beneficia . 264
Articulus II. De Regularium habitudine ad s. ministerium..... 264
§ 1. Quoad praedicationem verbi Dei..... 272
§ 2. Quoad SS. Eucharistiam..... 274
§ 3. Quoad Poenitentiae sacramentum..... 283
§ 4. Quoad S. Extremae Unctionis sacramentum 294
§ 5. Quoad S. Ordinis sacramentum..... 294
Articulus III De Regularium habitudine ad bona temporalia..... 300

PAG.
Articulus IV. De Regularium habitudine ad Jus commune 308
§ 1. De Regularium privilegiis in genere 309
§ 2. De Regularium privilegiis in specie 318
CAPUT VI. De Egressu e Religione et Mutatione Religionis 338
Articulus I. De legitimo egressu 338
§ 1. De dispensatione 338
§ 2. De mutatione sive transitu ad aliam Religionem 348
§ 3. De suppressione 352
Articulus II. De illegitimo egressu 355
§ 1 De ejectis 355
§ 2. De fugitivis 359
§ 3. De apostatis 360
CAPUT VII. De Congregationibus Religiosis 363
Articulus I. De Congregationum religiosarum natura . 363
Articulus II. De earundem erectione 364
Articulus III. De ingressu in religiosas Congregationes 368
Articulus IV. De obligationibus 371
Articulus V. De Regimine Congregationum ad intra et extra 377
§ 1. Ad intra 377
§ 2. De relatione Congregationum ad extra 387
Articulus VI. De egressu e Congregationibus 396
APPENDIX 399
INDEX RERUM ALPHABETICUS 431

COMPENDIUM JURIS REGULARIUM.

INTRODUCTIO.

1. Existit in Ecclesia status quidam medius inter hierarchicum et laicum, qui vocatur *religiosus*, quippe qui speciali modo religionem eiusque actus prosequitur. "Antonomastice, ait S. Thomas,[1] religiosi dicuntur illi, qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes."

2. Notio porro *status* ex eo praesertim oritur, quod ille, qui vocatur religiosus non sit de facili mobilis ab illa occupatione; involvit igitur quandam stabilitatem vel permanentiam—permanentiam dico, quae generatim libera obligatione firmari debet.[2]

3. Status iste dein *perfectionem* secum ducit. Nam, ubi semper motio, ibi indicium, aliquid desiderari, ad aliquid moveri, quod nondum habetur; ubi vero status, ibi quies et possessio illius, certo saltem gradu, quod desideratur.[3]

[1] 2–2, q. 186. a. 1.

[2] cf. *Bouix*, De Jure Regul. Vol. I. p. 7, qui negat esse obligationem proprie dictam.

[3] *S. Thom.* 2–2, q. 183. a. 1 sqq.; cf. *Suarez*, De Religione, l. I. c. III. n. 5.

4. Perfectio vero ista, hac in vita adipiscenda, patitur varias classes, quae juxta mensuram charitatis dividuntur; statuiturque inprimis duplex perfectionis classis: *acquirendae* scilicet et *acquisitae.*

5. *Status religiosus* dicitur esse, *perfectionis,* non acquisitae, sed *acquirendae.* Nam scopus istius status praecise in eo consistit, quod quis stabiliter et perseveranter tendat ad perfectionem.[1]

6. His in genere dictis de statu religioso, aliquid addatur necesse est *de historico progressu* ipsius. Non abs re dividitur in quatuor periodos:

325 1ma potest assignari a tempore Christi usque ad C. Nicaenum I. (325). In hac epocha tum viri, tum praesertim feminae se separant a coetu fidelium communi addicentes se Dei servitio exclusivo. Monasteria tamen et asceteria nondum propria existunt, sed potius sive singuli in locis secretis, sive plures in domibus paternis vel illis, quae ecclesiis sunt adnexae, singulariter vivunt.[2]

2da periodus se extendit a tempore C. Nicaeni
890 ad Lateranense IV. (1215), qua in periodo Ordines exsurgunt et vita monastica imprimis floret. Sunt

[1] *S. Thom.* 2-2, q. 186. a. 1 ad 3m.

[2] cf. *Wilpert,* "Die Gottgeweihten Jungfrauen," Herder 1892, p. 41. Utrum Nasiraei, Therapeutae et Esseni fuerint aliquomodo monachi christiani, vide *Heimbucher,* "Ordensgeschichte," Paderborn 1892, Vol. I. p. 11–14. Quoad Ascetismum prae-christianum, e.g. Brahmanismi et Buddhismi, vide *Aiken,* "The Dhamma of Gotama, the Buddha and the Gospel of Jesus the Christ," Boston 1900, p. 30 sq., p. 105, p. 114 sq.

praesertim monachi S. Antonii, S. Basilii, S. Benedicti, cuius ultimi ordo in multos se efformabat ramos temporis decursu. Postea S. Augustini Eremitae introducti sunt.

3ª periodus usque ad Tridentinum (1545–1563) extenditur. In hac epocha status religiosus praesefert quendam aspectum, qui quidem essentialiter ab illo antecedentis periodi non differt, tamen, quatenus finis peculiaris magis exprimitur in unoquoque Ordine, distinctionem quandam status religiosi induxit. Ordines mendicantes novae vitae zelantes, uti S. Francisci et S. Dominici Ecclesiae militanti sunt decori.

4ª periodus ad nostrum usque tempus protrahitur estque foecunda novis institutis non obstantibus in contrarium S. Pii V Constitutionibus. Aliqui Ordines formales exsurgunt, uti Societas Jesu; ast Congregationes potius florere incipiunt, quae finibus peculiaribus, multimodis necessitatibus humanis adaptatae, opera impendunt.[1]

7. Juvat etiam ab initio adducere modum, quo progredimur. Agendum est:

I. De natura status religiosi.
II. De Ordinum et domuum erectione.
III. De ingressu in Religionem.
IV. De obligationibus religiosorum.
V. De regimine regularium ad intra et extra.

[1] Circa nomina istarum Congregationum; finem et Constitiones vide *Heimbucher*, l. c.; et *Kirchenlexicon*, "Congregationen," auctore cl. Lehmkuhl, S.J.; ibid. "Orden" et "Ordensregeln."

VI. De egressu e Religione et mutatione Religionis.
VII. De Congregationibus religiosis.

8. Tandem aliqua dicenda remanent de *fontibus Juris Regularium.* Siquidem uti jus commune, cuius Jus Regularium efformat partem, habet fontes et collectiones fontium, ita et Jus Regularium. Et quemadmodum jus Ecclesiae commune, (sive objective sive subjective sumptum) non uno tempore est stabilitum fixumque, ita et Jus Regularium decursu dumtaxat temporis magis est evolutum.

Patet fontes Juris Regularium *primarios* esse fere eosdem ac juris communis, S. Scripturam, Traditionem, Conciliorum decreta, Pontificum Constitutiones, SS. Congregationum decisiones, etc. Consuetudo quoque habet suas partes, cui tunc ex altera parte proxime accedunt privilegia regularium. De his ultimis, quae scitu sunt digna, proferemus in capite V. At cum per totum tractatum saepe ad consuetudinem referendum sit, forte non erit extra scopum, aliquid dicere de consuetudine.

9. *Consuetudo, a*) definitur: "Jus non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, aliquo legislatoris consensu firmatum."[1] Est ergo jus, i.e. habens vim obligandi, actuum frequentatione inductum, cui accedat oportet legislatoris consensus, sive expressus, sive tacitus, sive praesumptus.

b) *Dividitur* in consuetudinem *secundum* legem, i.e. non differentem ab interpretatione legis, quae vocatur

[1] cf. *Santi*, Praelectiones Juris Canonici, l. I. tit. 4. n. 1, ed. Pustet 1898, Vol. I. p. 40.

usualis; in consuetudinem *praeter* legem, quae obtinet locum cum populus (regulares vel aliqua regularium communitas) sibi praecipit vel prohibet id, quod nulla lege praecipitur vel prohibetur; in consuetudinem *contra* legem, qua aliquid lege interdictum redditur licitum, et quod lege praeceptum est, redditur indifferens.

c) *Conditiones* consuetudinis quatuor generatim ponunt auctores: sc. ut sit rationabilis, ut sit legitime praescripta,—hac duae ex parte ipsius consuetudinis— ut accedat consensus legislatoris, et demum frequentia actuum cum intentione inducendi consuetudinem.

Requiritur ergo 1° *rationabilitas* ex parte consuetudinis, quia habetur ad instar legis, quae nisi sit rationabilis, non habet vim obligandi. Porro hic intellige nos loqui de consuetudine contra legem, et quidem in facto esse, i.e. in sua vera et completa existentia.[1] Porro quatuor sunt *criteria* rationabilitatis (vel potius irrationabilitatis): α) favor peccatorum, β) eversio potestatis ordinis, γ) eversio potestatis jurisdictionis, sive legislativae sive vindicativae, δ) prohibitio consuetudinis contra legem etiam futurae, expresse a legislatore apposita.[2] Quoad α) et β) nihil est addendum, patent enim. Quoad γ) refertur praesertim ad casum quo "rumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae," si nempe consuetudo posset praevalere contra vim imperandi et coërcendi, quae legitimae auctoritati vi jurisdictionis est indita.[3]

[1] cf. *Santi*, l. c. n. 5. p. 42.

[2] ibid.

[3] cf. c. 5. x (I. 4) ubi Innoc. III. damnat consuetudinem, nixi

Hoc potest etiam obtinere in communitatibus; unde talis consuetudo, quae vim jurisdictionis Superiorum laederet vel impediret, saltem essentialiter, non esset consuetudo. Quoad *δ*) haec adverte: *Clausulae* consuetudinem prohibentes sunt 1° *abrogantes*, e.g. "non obstante quacunque consuetudine contraria;" 2° *prohibentes*, e.g. "nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere;" 3° *reprobantes*, e.g. "talem consuetudinem penitus improbamus, reprobamus; potius corruptela juris est quam consuetudo." Porro si lex, cui talis clausula apposita est, est divino-positiva, tunc certe consuetudo contraria apparet irrationabilis; si vero lex est mere humana, tunc consuetudo clausulis contraria, etiam solemnissimis, excludi non potest neve irrationabilis apparet, si ceterae conditiones adsunt.[1]

Requiritur 2° *legitima praescriptio*, quae tempore certo indiget. Porro si agitur de consuetudine rationabili *praeter* legem, dicunt auctores spatium decem annorum sufficere, ut praescriptio legitima habeatur. Si agitur de consuetudine *contra* legem rationabili, auctores divergunt. Alii dicunt 10 annorum sufficere, dum alii contendunt 40 annorum spatium requiri; alii demum distinguunt inter legem usu receptam, contra quam ut consuetudo praescribat, requiri, aiunt 40 annos, et legem rite promulgatam et nondum usu receptam,

qua quidam Canonici interdictum generale ab Episcopo impositum non servabant.

[1] cf. *Santi*, l. c. n. 10. p. 45.

contra quam consuetudo 10 annorum praescribit.[1] Requiritur 3° aliqualis *legislatoris consensus*. Sufficit per se *praesumptus*, saltem si lex consuetudini contraria a legislatore promulgata nullam mentionem facit de consuetudine, e.g. per clausulam.

Requiritur 4° *actuum frequentia*, uniformis, non interrupta, sive per actum populi contrarium, sive per legislatorem impedientem, quominus consuetudo ultra servetur. Actus debent esse voluntarii et libere positi; requiritur ergo etiam scientia, sc. ut populus sciat, hos actus nulla lege esse praescriptos vel actus esse legi contrarios. Libere positi sunt, si non ex vi vel metu procedunt. Actus dein debent esse frequentes, publici et notorii, vel saltem ita demonstrabiles ut usus inde consurgens possit probari.[2]

d) *Effectus* consuetudinis juxta legem, est legis ipsius interpretatio; consuetudinis praeter legem, est inductio novae legis; et effectus consuet. contra legem, est vel totalis vel partialis praeexistentis legis abrogatio; et quidem quoad leges ecclesiasticas perimit consuetudo etiam vim directivam, siquidem non videntur existere leges ecclesiasticae mere poenales.[3]

e) *Abrogatio consuetudinis* fit α) per supervenientem legem, et β) per contrariam consuetudinem. Lex generalis posterior abrogat consuetudinem generalem, non vero specialem, excepto si clausula "Nulla obstante

[1] cf. *Santi*, nn. 13–15. p. 46 sq.; *Aichner*, Compendium Juris Eccl. 1895, ed. 8. p. 35.

[2] cf. *Aichner*, l. c. p. 33.

[3] cf. *Santi*, l. c. n. 19. p. 50.

consuetudine" sit apposita; et si de consuetudine immemoriali agitur, insuper sit adnexa "etiam immemoriali et privilegiata." Lex specialis posterior contraria tollit consuetudinem oppositam specialem.[1] Haec quoad consuetudinem. Unde quoad regulares, supple, quod statuta contraria possint induci per consuetudinem et iterum abrogari. Cetera currunt ut supra.

10. *Collectiones* porro *Juris Regularium* propriae non habentur. At plura invenies in "Decreta Authentica" S. Rituum Congregationis (ed. 1900, Romae) et praesertim in "Collectanea" S. C. E. E. et R. R., quam edidit Cardinalis Bizzarri, olim eiusdem Congregationis Secretarius (ed. Romana, 1885), quae ad rem nostram faciunt. Insuper extant "Bullaria" fere omnium Ordinum, uti e.g. novissima editio Bullarii O. S. Francisci Minorum, etc. Haec sunt fere documenta, praeter scripta canonistarum et aliquorum moralistarum, quorum nomina in adnotationibus apparebunt, quibus usi sumus ad compendium conficiendum. Evolvantur ergo illorum volumina, ubi compendium deficit.

[1] *Aichner*, l. c. p. 35; *Santi*, l. c. n. 21. p. 50.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

Definitur status religiosus completus: Status hominum in communi ad perfectionem christianam tendentium per tria consilia evangelica (paupertatis, castitatis et obedientiae), voto perpetuo firmata, traditione sui Deo factâ et ab legitimo superiore acceptatâ, sub regula ab Ecclesia approbatâ.[1]

Explicatur definitio:

1. Diximus *completus:* Siquidem hic agimus de statu Regularium, non vero Congregationum, quibus notio status religiosi quidem competit, at non eodem modo perfecto ac Ordinibus, in quibus vota solemnia emittuntur.

2. *In communi:* ut excludatur vita proprie dicta eremitica, quia ex jure hodierno Ecclesia nonnisi illas regulas, quae vitam communem praescribunt, approbat.[2] Potest tamen etiam vita eremitica (e.g. Camaldulensium) de statu religioso proprio participare, casu scilicet, quo eremitae cum aliis eiusdem instituti sodalibus communem praelatum et regulam habent.[3]

[1] cf. *Aichner,* Compendium Juris Eccl. Brix. 1895, ed. 8. p. 461.

[2] id. p. 463.

[3] *Marc,* Institutiones Morales, Romae 1898, ed. 9. Vol. II. n. 2128, 4.

3. *Ad perfectionem christianam tendentium:* quibus exprimitur finis, qui consistit in adipiscenda charitate, gradu, qui non est communis omnibus christianis.[1]

4. *Per tria consilia evangelica:* paupertatis, castitatis et obedientiae. Vocantur consilia, quia supra observantiam mandatorum omnibus christianis necessario exequendam, aliquid perfectionis secum ferunt quae non exigitur ab omnibus, sed ab iis dumtaxat qui servitio Dei in statu religioso se mancipant.[2] Porro ista tria requiruntur et sufficiunt, ut status religiosus (saltem abstracte consideratus) habeatur completus. Nam hisce tribus omnia obstacula, quae procedunt ex triplici praesertim concupiscentia et impediunt libertatem tendendi ad perfectionem, adimuntur.[3] Insuper patet ex historia vitae religiosae haec tria consilia semper fuisse requisita, at et suffecisse.[4]

5. *Voto perpetuo firmata:* Votum hic intelligimus illud, quo quis in actu ingrediendi statum religiosum (in concreto consideratum) irrevocabiliter promittit se servaturum tria consilia evangelica.[5] Ista promissio

[1] *S. Thom.* 2–2, q. 186. a. 2.

[2] Est utique consilium *antecedenter* ad votum nuncupatum, non vero consequenter; quia post votum nuncupatum "consilium" jam induit rationem praecepti.

[3] cf. *Wernz*, S.J. *Jus Decretalium*, t. III. n. 590, Romae 1901. cuius cl. auctoris opus ad nos pervenit, quando manuscriptum jam ex toto completum erat; unde non potuimus illud amplius consulere in extenso. Ex S. Scriptura cf. *Math.* XIX. 20; *Marc.* X. 21. 29 sq.; *Luc.* XVIII. 22. Confer insuper *S. Thom.* 2–2, q. 186. a. 2.

[4] *S. Thom.* 2–2, q. 186. a. 7.

[5] *Heiner*, Kirchenrecht, p. 365.

debet esse *libera*, sc. non vi vel metu adducta, quippe cum agatur de consiliis, i.e. de obligatione quadam, quae lege extrinseca non praescribitur. Debet esse insuper ista promissio *externa* sive visibilis, quia, quamvis vota principaliter ad Deum tendant, tamen de communiter contingentibus, accipitur ab homine. Demum *votum* requiritur ad inducendam stabilitatem, quae pertinet ad notam status religiosi.[1]

Dividitur votum in *a*) *temporarium* et perpetuum, quorum prius est illud, quod ad certum temporis spatium emittitur; *perpetuum* absque temporis limite (et generatim loquendo, saltem ex parte voventis, ad vitam) nuncupatur; *b*) solemne et simplex. Porro ista divisio certe laborat aliqua difficultate, uti perlegenti variorum auctorum opera satis patebit. Certum est differentiam advenire voto non ab intrinseco, sc. sive ex promissione ipsa, sive ex intentione voventis; nam ista pertinent ad specificam constitutionem voti, qua talis. Traditio sola non sufficit ad explicandam differentiam, quia ista habetur e.g. in professione simplici religiosorum Ordinum formalium, ex parte voventis saltem, imo etiam ex parte Instituti, si intentio istius penitius consideretur. Unde tandem aliquando dicunt auctores: votum *solemne* est illud, quod constitutione Ecclesiae,[2] i.e. jure ecclesiastico qua tale habetur ob rationes quae discrimen constituere sunt aptae; votum *simplex* vero est illud, quod tali sanctione a parte Ecclesiae caret. At deinde inquirunt, quaenam sint

[1] *Wernz*, l. c. *Bouix*, l. c. p. 48.

[2] Ita *Bonifacius* VIII (1294–1303) in c. unic. 6° (III. 15).

illae rationes aptae natae ad discrimen constituendum. Hic dispescuntur auctores. Aliqui in benedictione vel consecratione qua res (sive homo potius) tanquam Deo dicata censeatur.[1] Alii vero contendunt traditionem absolutam et perpetuam esse notam distinctivam votum solemne inter et simplex. Ista sententia tamen diverse a diversis exponitur. Demum omissis aliis explicationibus et opinionibus, quidam dicunt solemnitatem voti religiosi consistere tum in traditione absoluta et ex utraque parte, sc. voventis et Instituti acceptae, tum in vi inhabilitandi personam profitentis ad actus votis religiosis contrarios, vel irritos vel irritabiles reddendi.[2] Porro unusquisque sequatur quamcunque elegerit sententiam. Deinde, utrum ista differentia sit substantialis an accidentalis, etiam juxta ultimo positam explicationem, disputatur tum inter canonistas tum inter moralistas.[3]

Nunc quoad *effectus* voti simplicis. Isti sunt:

a) Quoad *paupertatem:* Removet jus actuale bonis materialibus fruendi vel utendi absque licentia superiorum; non vero impedit dominium radicale, ita ut votum simplex emittentem non reddat incapacem acci-

[1] Ista sententia attribuitur *S. Thomae,* Summa Theol. 2–2, q. 88. a. 7. 8.

[2] cf. *Suarez,* de Relig. l. II. c. 20 sq.; c. 14. n. 10. Inter recentiores canonistas cl. *Wernz,* l. c. t. III. n. 590, VII. istam facit suam. Nostro judicio nec ista sententia omnes difficultates ex historia sumptas superat.

[3] cf. *Piat.* I. p. 5; de historia vide infra c. III. ubi de ritu. Accidentalem esse differentiam inter utrumque votum tenet inter recentiores, praeter plures, etiam cl. *Wernz,* l. c. n. 591, IV.

piendi haereditates, legata, donationes et disponendi de bonis talibus cum licentia superiorum.[1]

b) Quoad *castitatem:* Votum simplex matrimonium reddit illicitum tantum, non vero irritum; excipe Scholasticos Societatis Jesu, pro quibus, quamquam voto castitatis simplici ligatis, irritum, non solum illicitum foret matrimonium attentatum.[2] Quod est speciale cl. Societatis privilegium ex Const. Gregorii XIII "Quanto," d. 1. Feb. 1583, et aliis.

c) Quoad *obedientiam:* Observa nos non loqui de obligatione voto inducta,—quod valet etiam de *a*) et *b*)—sed de effectu juridico voti religiosi. Insuper non est sermo de effectu professionis, sed voti dumtaxat.[3] Unde si loquendum est de effectu voti obedientiae simplicis, communiter assignant auctores materiam, quae potius extra votum obedientiae se habet dicentes effectum induci relate ad vota privata vel promissiones privatas facta ab illo qui hic et nunc profitetur votum simplex religiosum, antequam hoc votum emiserit. Quapropter iste effectus ita describi potest: vota praecedentia (e.g. recitandi officium B. M. V.), quae cum statu religioso sunt compatibilia per se non extinguuntur, nisi ab ipso emittente votum commutentur aut a Praelato competente irritentur vel dispensentur. Quodsi vota illa cum statu religioso fuerint incompatibilia (e.g

[1] *Bizzarri*, Collectanea, Romae 1885, p. 777. n. 7; p. 780 n. 4, etc.

[2] *Suarez* l. c. tract. VII. l. 9. c. 21.

[3] Aliquando auctores haec omnia sub uno respectu tractant Unde notandum est quae hic diximus, ne confusio oriatur.

votum peregrinandi ad locum sacrum satis distantem), solummodo suspenduntur, et si religiosus ex Instituto discedat, denuo reviviscunt.[1]

Effectus voti *solemnis* assignari solent sequentes:

a) Quoad *paupertatem:* adimit dominium radicale, capacitatem dominii et usum rerum temporalium independentem. Quaecunque possidet solemniter profitens, transit tempore huius solemnis voti emissionis ad Institutum, cui se adscribit, si Institutum sit possidendi ea capax.

b) Quoad *castitatem:* matrimonium (attentatum) subsequens prorsus irritat, praecedens vero matrimonium, si non sit consummatum, irritum reddit; non quidem naturae jure, sed ecclesiastico.[2]

c) Quoad *obedientiam:* Vota praecedentia sive personalia sive realia extinguuntur, nisi professus velit retinere vota cum suo statu compatibilia aut juris sanctio extinctionem etiam voti compatibilis excludat.[3] Excipiunt proin auctores votum reale a tertio acceptatum, quia talis extinctio vel irritatio laederet jus tertii acquisitum.[4]

6. *Traditione sui Deo facta et a superiore legitimo*

[1] cf. *Wernz*, l. c. n. 645. V; *Suarez*, de Rel. l. VIII. c. 4; *Bouix*, I. p. 89 sq.

[2] *Ferrari*, de Statu Religioso. Romae 1896, p. 22.

[3] *Wernz*, l. c. n. 646. V; *Suarez*, de Rel. l. II. c. 13. n. 8; *Craisson*, n. 2498.

[4] *Lehmkuhl*, Theologia Moralis, I. n. 466; *Nilles*, "de Juridica votorum solemnitate," in "Disputationes Academicae," Oeniponte 1886, p. 18 sq.

acceptatâ: Traditio[1] homini facienda omnino necessaria est ad statum religiosum (in concreto consideratum), quia ipse est corpus juridicum, quod membra sua nonnisi aliquo signo sensibili sibi incorporare potest—signo, dico, sensibili, quod actum incorporationis indicet. Porro corpus juridicum rite repraesentatur per suum legitimum Superiorem, unde traditio ab hoc acceptari potest valide. Traditio, non solum promissio, est necessaria ratione contractus, quem vovens simul et acceptans ineunt. (Contractus bilateralis.)

7. *Sub regula ab Ecclesia approbatâ: a)* Regula definiri potest: totalitas praeceptorum, quibus membra alicuius Ordinis religiosi reguntur tum quoad spiritualem perfectionem, tum quoad vitam communem.[2] *Regula* in Ordinibus formalibus (saltem antiquis) vocatur codex sacer, quem primus eorum magister sive fundator suis tradidit observandum. *Constitutiones* vero (in istis Ordinibus) vocantur additiones illae, quae praeter regulam, aliqua modificant vel declarant, quae sunt temporis vel locorum circumstantiis magis adaptatae. Aliqui Ordines formales, e.g. Barnabitarum vocant primitivum codicem Constitutiones; ceteroquin Congregationes religiosae Constitutiones nominant suas normas.

b) Porro de ista "regula"—non loquimur nunc de Constitutionibus Congregationum religiosarum—quaeritur, utrum approbatione S. Ecclesiae indigeat ita, ut

[1] Termini quibus antiquitus utebantur, sunt: se tradere, despondere, consecrare, vovere Deo; cf. *Wilpert,* l. c. p. 9.

[2] cf. *Kirchenlexicon,* "Ordensregel."

absque ista status religiosus non habeatur. Negari non potest s. fundatores, e.g. S. Pachomium, S. Benedictum,[1] medii aevi initio exarasse regulas, quin approbatione eas indigere putarint. Ast nemo unquam arguet istos Ordines non pertinuisse ad statum religiosum completum. Unde dicendum est de jure divino non requiri approbationem,—saltem si sermo sit de approbatione non formali.[2] Aliter loquendum est, si agitur de jure ecclesiastico vigente a tempore Conc. Lateranensis IV. (1215) praesertim.[3] Nam hoc Concilium diserte adstruit necessitatem approbationis ecclesiasticae ad "novum Ordinem"—et proinde novam regulam—inveniendum. Ista approbatio est causa maior, Summo Pontifice reservata.

c) *Distinguitur* triplex approbatio: *α*) *solemnis* et definitiva, quae a solo Romano Pontifice dari potest requirituque ad constituendum ordinem formalem; *β*) *commendatitia*, qua institutum religiosum laudatur simulque eius regula (constitutio); *γ*) *permissiva*, qua statuitur nihil saluti obnoxium in tali regula (vel instituto), absque qua approbatione si quis institutum religiosum velit condere, statum rebellionis potius induceret.[4]

d) *Consistit* vero approbatio in *α*) *judicio authentico*,

[1] Laudabat quidem S. *Gregorius Magnus* regulam S. P. Benedicti, at non quâ Supremus Pontifex, sed quâ scriptor ecclesiasticus (Dialog. II. c. 36).

[2] Ita *Bouix*, I. p. 56.

[3] c. 9. x (III. 36); c. 1. Extrav. (III. 7).

[4] cf. *Kirchenlexicon*, "Orden."

quod religio vel regula sit honesta, licita, utilis; β) potestate superiori illius Ordinis concessa, vota in eo profitentium, nomine Ecclesiae acceptandi, et sic eos veri religiosos constituendi.[1] Prius est essentiale et pertinet ad infallibile Ecclesiae magisterium.[2]—Approbatio aliqualis omnino requiritur non solum pro Ordinibus formalibus (cum votis solemnibus), sed etiam Congregationibus religiosis, uti ex fine canonis C. Lat. IV. citato patet—"ne nimia confusio—ita canonistae—religionum inducatur." Invaluit tamen usus, ut priusquam Pontificia petatur approbatio, aliqua fiat experientia, utrum ex novo instituto commodum possit capere S. Ecclesia. Quem procedendi modum ipsamet Sedes Apost. sequitur, laudando prius instituta, quae sic inceperunt, ac deinde approbando.[3]

[1] *Piat.* I. p. 20.

[2] cf. *Kirchenlexicon*, "Ordensregel."

cf. *Piat.* I. p. 21; *Bouix*, I. p. 212; *Aichner*, l. c. p. 467; de modo procedendi infra dicetur.

CAPUT II.

DE ORDINUM ET DOMUUM ERECTIONE.

Status religiosus quid sit jam dictum est. Quaeritur nunc quomodo *novi Ordines*, qui a jam existentibus discrepant et tamen de statu religioso completo participant, possint fundari, cui quaestioni adnexa est altera: quomodo *domus* novae seu conventus Ordinum jam existentium possint erigi.

Articulus I.

De novorum Ordinum institutione.

Observamus imprimis nos loqui de Ordinibus formalibus, i.e. de religiosis familiis, quae essentiam status religiosi completam exhibent, quae emittunt vota solemnia, prout a Curia Romana intelliguntur; excluduntur ergo Congregationes.

Si agitur de quaestione juris, tunc quaestio moveri potest duplici sensu, sc. 1° quo jure status religiosus, in communi vel abstracte sumptus, fundatus sit; et 2° quo jure aliquis ordo determinatus (species aliqua status religiosi, e.g. Benedictinorum), seu in concreto sit fundatus. Quoad 1^m^ conveniunt auctores esse jure divino, utpote ab Institutore Ecclesiae intentus et approbatus,

uti constat ex evangeliis, cf. Math. XVI. 24; XIX. 12. 21. Consentiunt etiam SS. Patres hac in re.[1]

Quoad 2^m^ dicendum est post supradicta (ubi de approbatione), pendere fundationem alicuius Ordinis determinati ab institutione et dispositione Ecclesiae. Ecclesia vero voluntatem suam aperuit variis documentis:

a) Conc. *Lateranense* IV. (1215) declarat: "Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de caetero novam religionem inveniat: sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare regulam et institutionem accipiat de approbatis." [2]

b) Conc. *Lugdunense* II. (1274): ". . . Repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis novum ordinem aut religionem adinveniat vel habitum novae religionis assumat. . . ." [3]

Ex his constitutionibus patet, α) nullum amplius institutum religiosum de novo inveniri aut fundari posse, ut jura et privilegia regularium habeat, nisi assentiatur Apostolica Sedes. β) Imo constat hanc legem non solum esse prohibentem, sed etiam irritantem, ita ut sine facultate Pontificis inducta Religio sit irrita, seu potius attentata, nec valeant vota in ea emissa.[4] γ) Constat ultimo his constitutionibus certe comprehendi omnes Ordines formales. Nam certum est, Sedem

[1] cf. *Piat.* I. p. 22.
[2] c. q. X. (III. 36).
[3] c. un. 6° (III. 17); c. 1. Clem. (III. 36).
[4] *De Angelis*, l. III. Decr. tit. 31. n. 5.

Apostolicam nonnisi veras Religiones (Ordines formales) i.e. cum votis solemnibus et cum regula ab ea quoque probata, nisi esset de jam existentibus ab Ecclesia admissis, approbasse,[1] saltem usque ad Conc. Tridentinum. Et ut haec lex magis firmaretur, *Pius V* edidit anno 1566 Const. "Circa pastoralis," qua omnes praesertim mulierum absque clausura familias e medio tolli et sublatas esse voluit.

c) Attamen non obstante hac lege sensim *alia praxis* invaluit, qua nempe cum permissu Ordinarii instituta talia, etiam absque clausura tolerentur, imo utilitas eorum laudaretur et tandem approbarentur. Itaque methodus, qua hodie nova instituta inducuntur est sequens:

α) laudatur finis fundatoris vel instituti;

β) decretum laudis instituti conceditur;

γ) approbatio constitutionum prius ad experimenti instar, dein ad perpetuum datur.

d) Ut exemptio et confirmatio instituti, tanquam veri et proprii Ordinis (formalis) concedantur, vel concessa considerari possint, necessaria est prorsus specialis et expressa declaratio. Etiamsi exemptio concedatur, nondum sequitur aliquod institutum considerari tanquam ordinem formalem, uti constat de Redemptoristis qui quamvis gaudent exemptione[2] (Vi Brevis Pii VI d.d. 21. Aug. 1789) non adnumerari

[1] *De Angelis*, l. c.

[2] *Santi*, in Decr. l. III. tit. 36. n. 39, Vol. III. p. 348; cf. *Bizzarri*, Collect. Appendix I. p. 228, ubi habes totam methodum clare expositam; *Craisson*, *Manuale*, n. 2534 sqq.

possunt inter Ordines formales, uti declaravit S. C. E. E. et R. R. d. 16. Sept. 1864.

Consideranda etiam sunt *Instituta duplicia,* illa nempe, in quibus etsi viri domos a mulierum domibus separatas inhabitent, et illi aeque ac istae Superiorem et Superiorissam Generalem habeant; tamen unum idemque efformant Institutum et Superiorissa Generalis Superiori Generali subjecta manet et mulierum erga viros dependentia et subjectio servantur. Nam talia, saltem in casibus particularibus, non amplius approbantur a Sede Apostolica, uti constat ex declaratione S. C. E. E. et R. R. in casu instituti vocati "De Picpus," d. 27. Januar. 1760.[1] Imo posset quis ex Coll. *Bizzari* "Incerti loci in Gallia," p. 166, deducere etiam affiliata esse scandalosa et proin non approbari a S. Sede.[2] Attamen extat decretum S. C. E. E. et R. R. d.d. 2. Junii 1893, quo ipsa C. confirmavit eiusmodi institutum duplex, sc. Congregationem "Filiarum Sapientiae" et annexam Congr. "Societatis Mariae," agnita facultate Superioris Maristarum in Filias Sapientiae. Diximus propterea "saltem in casibus particularibus."[3]

Approbatae jam et existentes *Religiones omnes distinguuntur* ordine sequenti:

1. Quoad *sexum:* in religiosos et moniales,[4] vel sanctimoniales.

[1] cf. *De Angelis,* in III. tit. 31. n. 6, II–II. p. 88 sq.; *Santi,* III. 36. n. 5. p. 352.

[2] cf. *Sebastianelli,* De Personis, Romae 1896, p. 373; *De Angelis,* l. c.

[3] *Santi,* l. c.

[4] Prioribus temporibus "monachae" vocabantur, uti *S. Hier.*

2. Quoad *occupationem:* in religiones activas, contemplativas et mixtas; prout una vel altera occupatio praevalet, vel utraque aequa fere lance ponderatur.

3. Quoad *Regulam* sunt fere sequentes:

a) *orientales et graecae* (Pachomii et Basilii);

b) *gallicae et hibernae* (Cassiani, Caesarii Arelatensis, Columbani);

c) *romano-latina regula* (S. Benedicti cum omnibus institutionibus variarum congregationum).

d) *canonicorum* regularium (S. Augustini, S. Chrodegangi Mettensis episcopi VIII. saeculo);

e) *mendicantium* (S. Francisci, S. Dominici, Carmelitarum, etc.);

f) *Clericorum* regularium inde a saeculo XVI. uti Societatis Jesu, Barnabitarum, etc.[1]

4. Quoad *naturam constitutionis* dividuntur in Ordines *monachales*, qui vi proprii instituti non ordinantur ad ministeria Clericorum et vitam contemplativam maxime colunt; in *clericales*, qui ex proprio instituto deputantur ad ministeria ecclesiastica; in *mendicantes* qui vitam activam contemplativae jungentes, vi proprii instituti possessionum bonorum immobilium excluderent et viverent ex piorum eleemosynis; in *militares*, qui ordinantur ad militandum pro defensione fidei christianae et Ecclesiae catholicae; *in hospitalarios*, qui deputantur ad exercenda quaecunque munera charitatis.[2]

laudat B. Marcellam tanquam Imam Romae monacham. ep. 127; cf. *Acta SS.* Januarii t. II. p. 1107.

[1] cf. *Kirchenlexicon*, "Ordensregel."

[2] cf. *Santi*, in Decr. l. III. t. 31. n. 5. p. 291 sq. *De Angelis*, in Decr. l. III. t. 31, II–II. p. 89 sq. Observa bene nos hic

Observa tamen, quod vix hodie aliquis Ordo invenitur, qui scopum unicum sibi praestatuerit. Necessitas siquidem temporum et diversitas circumstantiarum multoties quandam evolutionem—uti hoc temporis loquuntur—secum duxerunt, quin tamen idea a fundatore praehabita penitus vel etiam tantummodo secundum substantiam sit mutata.

Articulus II.

De Erectione novorum conventuum.

Sunt quaedam necessaria ad erigendas novas domos tum 1° a parte Superioris legitimi ecclesiastici; 2° quaedam ex parte conventus noviter constituendi. Igitur, ad 1^m^: Requiritur *licentia* Superioris ecclesiastici. Ut rite possint omnia elementa perpendi, statuimus imprimis aliqua instrumenta, ex quibus conclusiones faciemus.

a) Decretalis *Gregorii X* anni 1273 dicit: "Nec de novo domum vel aliquem locum acquirant . . . sine ejusdem (Ap. Sedis) licentia speciali."[1] Hoc valebat de mendicantibus post Concilium Lateranense IV. (1215) stabilitis. Et exemit Greg. X postea Augustinos et Carmelitas, Dominicanos et Franciscanos.

b) Decretalis *Bonifacii VIII* anni 1298: "Prohibemus

loqui de erectione conventuum, quae procedit ex Ordinibus formalibus, non ex Congregationibus religiosis. Nam quoad harum ultimarum conventus erigendos, dicemus infra (cap. ult.), praesertim ex Const. Leonis XIII "Conditae nobis," d. 8. Dec. 1900.

[1] c. Religionum 6° (III. 17).

ne deinceps aliquis vel aliqui de praedictis (sc. mendicantibus, exceptis eremitis) in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocunque ad inhabitandum domos vel loca quaecunque de novo recipere . . . praesumant absque sedis Apostolicae licentia speciali."[1] Tum haec, tum praecedens nihil statuit de monialibus.

c) *Tridentinum* statuit: "Nec de caetero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta."[2]

Sermo est de monasteriis tum virorum tum mulierum.

d) *Innocentius X* in sua Const. "Instaurandae" d. d. 22. Oct. 1652: "Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis regularium ordinum, mendicantium, congregationis, societatis et cuiusvis alterius instituti, etiam societatis Jesu, in aliqua civitate, castro, villa seu loco, ad habitandum domos vel loca quaecunque, de novo recipere, seu monasteria, conventus vel collegia fundare praesumat, absque sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis et gratis concedenda, praevia examinatione Congregationis negotiis E. et R. praepositae . . . . Intendimus autem in praemissis, etiam ultra Italiam et insulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere."

Ex his documentis constat:

1° Necessarium fuisse *indultum Apostolicum* usque ad Tridentinum saltem, ad erigendam domum vel monasterium Ordinum formalium in quacunque regione

[1] c. 1. 6° (V. 6).
[2] Sess. XXV. c. 3. de Ref.

et terra, sed non fuisse requisitam licentiam Episcopi sive Ordinarii; hoc vero valuisse tantum de monasteriis virorum (exceptis excipiendis, uti supra), non vero de monialium.

2° A Tridentini Concilii tempore ex opposito invenitur necessarium fuisse *licentiam Ordinarii* et quidem tum pro monasteriis virorum tum monialium et ubiubi erigantur talia, non vero fuisse requisitum juxta Concilii decreti tenorem indultum Sedis Apostolicae.

3° Tandem per Constitut. Innocentianam provisum est pro monasteriis in Italia et insulis adjacentibus erigendis, ut venia Sedis Apostolicae requiratur, et hoc valet de monasteriis tantum virorum non vero monialium et pro solis monasteriis in regionibus citatis fundandis. Insuper provisum est ex decreto sc. "super disciplina regulari" d. d. 23. Feb. 1717, ut non concedatur istud indultum "nisi prius conventus vel monasterii fundandi reddituum sufficientia et subsistentia coram S. Congregatione justificata fuerit." Quod decretum valet de virorum tantum monasteriis.[1]

Haec videntur certa. Quodsi disputatur, utrum licentia Sedis Apostolicae etiam pro aliis regionibus extra Italiam et insulas adjacentes necessaria sit, dicendum est, quod praxis militat pro sententia Benedicti XIV (De Synodo Dioec. l. IX. c. 1. n. 9) quamvis re theoretice considerata, potius Fagnani sententia verior apparet.[2]

[1] cf. *Ferraris*, "Conventus," a. 1. n. 35.

[2] cf. *Bouix*, I. p. 247 sqq., qui citat pro ista sententia (Fag.) Reifenstuel, Wiestner, Engel, Schmier, Leurenius, Mayr. (cf.

Ceteroquin hac in nostra regione non est tanti momenti ista disputatio; nam clara apparet res in Const. *Leonis XIII* "Romanos Pontifices" d. d. 8. Maii 1881, etiam ad nostram regionem extensa. Sonat vero illa decisio ita: "Quare communis hodie sententia est, cui favet passim rerum judicatarum auctoritas, non licere Regularibus, tam intra quam extra Italiam nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica—facultatem requiri. Iisdem insistens vestigiis sacrum Concilium christiano nomine propagando pluries decrevit, veniam Apostolicae Sedis et Episcopi aut Vicarii Apostolici ecclesiis collegiisque erigendis, etiam in missionibus, ubi religiosi sodales domos sedesque habeant, esse omnino necessariam. His ergo de causis ad propositum dubium respondemus: Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendo vel coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius *expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae* non licere."

Pro religiosis vel potius pro monasteriis virorum hac (et in Anglica) regione nulli amplius dubitare licet circa intentionem Sedis Apostolicae.

Sed quid de *monialibus*?

a) In *genere* dicendum: ad monialium monasteriorum erectionem, utrum licentia S. Sedis requiratur necne, scriptam legem non existere, sed praxim hoc ferre, maxime propter legem clausurae (papalis), gratias,

l. c. p. 251); confer etiam *Craisson*, n. 2541–2548; *Santi*, in Decr. l. III. tit. 36. n. 6. p. 353; *Aichner*, p. 468.

indulgentias, privilegia concedenda.[1] Ipsa S. C. E. E. et R. R. distulit quaestionis huius solutionem in celebri Ruremonden. Dubii quoad vota solemnia Ursulinarum die 22. Martii 1895 ad III.[2] Quae dicta sunt valent certe de monialibus cum votis solemnibus. Circa alias tenendum est, quod diximus supra de re disputata. Circa licentiam Episcopi quoad utramque classem monialium (cum votis sol. et simpl. tantum) post decretum Tridentinum cit. quid dicendum sit, patet. Requiritur certe.

b) Quoad *Americae Sept.* regionem omnino standum videtur generali praxi, quod necessaria sit *licentia Episcopi.* Utrum vero etiam licentia Sedis Apostolicae est quaestio nondum soluta. Nam Const. Leonis XIII nihil statuit de monialibus, solummodo de religiosis. Unde dijudicandae sunt secundum quod clausura papali gaudent necne. Cf. tamen decr. in Appendice.

Licentiam istam Episcopi *non* potest dare *Vicarius Generalis* ex mandato generali, potest vero si habet mandatum speciale;[3] nec Vicarius Capitularis sede vacante.[4] Quaeritur adhuc de *translocatione* conventus ab uno in alium locum, utrum etiam ista subjaceat normis canonicis. Et dicendum est non requiri beneplacitum Apost. si solummodo situs mutetur, non vero locus ipse, (civitas, oppidum) etiamsi ibi essent religiosi, qui privilegio gaudeant ne alii domum relig. erigant.[5]

[1] cf. *Aichner,* l. c.
[2] *Santi,* III. t. 36. n. 6. p. 354.
[3] *Santi,* in l. III. tit. 36. n. 6.
[4] *Craisson,* n. 2546; *Bouix,* p. 261.
[5] *Craisson,* n. 2544; S. C. E. E. et R. R. d. 29. Sept. 1687.

Sed quid de *licentia Episcopi*? Stando strictae Tridentinae legis interpretationi, quae lex solummodo loquitur de erectione, non videtur necessaria ista licentia, nisi forsitan aliae circumstantiae, uti ecclesia annexa, schola parochialis, etc. hoc exigant. Quaeritur demum de *reassumptione* conventus antea derelicti, utrum requirantur indultum Apostolicum et licentia Episcopi. Respondet S. C. E. E. et R. R. die 17. Nov. 1617, utrumque esse necessarium, quia aequiparatur erectioni.[1]

Sunt vero certae *leges*, quas *Episcopus* debet respicere *in danda licentia*. Istae leges porro determinatae sunt per Constitutiones Clementis VIII "Quoniam" d. d. 23. Julii 1603, et Gregorii XV "Cum alias" d. d. 17. Aug. 1622, quae sequentia statuerunt:[2]

1° Episcopus est judex, utrum vocare debeat Superiores aliorum conventuum. Debet siquidem ipsi constare utrum novus conventus absque detrimento aliorum erigi possit.

2° Hoc valet imprimis de conventibus mendicantium, siquidem Const. Clementis de iis dumtaxat loquitur. Sed etiam Const. Gregorii XV praesertim prae oculis habuit sustentationem ("commode et congrue manuteneri et ali posse") illorum conventuum, qui ex eleemosynis vivunt.

3° Si ergo istis conventibus detrimentum exsurgeret ex novi conventus erectione et Episcopus hoc praevideret vel ipsi hoc constaret, deberet consensum Superiorum

[1] *Craisson*, n. 2548.

[2] Textum vide apud *Ferraris*, "Conventus," a. 1. in principio.

aliorum conventuum petere vel licentiam novae domus erectioni denegare.

4° Si Episcopus hoc negligeret datur Superioribus facultas appellandi, et erectio tamdiu effectu caret, quousque Apostolica Sedes in eadem causa aliquid pronuntiaverit.

5° Distantia vero, quae attendi debet circa conventus in regione ista existentes interrogandos, est 4000 passuum.

6° Quodsi in ista circumferentia nullus conventus, qui sit interrogandus, existat, *incolae*, ex quorum eleemosynis novus conventus alendus esset, sunt interrogandi, nisi Episcopo constiterit novum conventum aliunde posse sufficienter sustentari.

7° Tandem haec omnia obtinent de monasteriis virorum tantum non vero monialium, et de prioribus in quantum 12 monachi degent in ipsis.

Ex istis omnibus apparet, quodsi e.g. monasterium donis et redditibus sufficienter dotetur ita ut nullum detrimentum tertio injiciatur, nec Superiores aliorum conventuum nec incolas loci esse interrogandos, sed sufficere normam canonicam, sc. beneplacitum Apostolicum (ubi certe requiritur) et licentiam Episcopi. Ita putamus intelligi debere tenorem Constitutionum citatarum.[1]

Quaerunt quoque auctores, utrum Episcopus teneatur audire *parochum*, immo eiusdem consensum requirere. Nam videntur et parochi enumerari inter "alios in-

[1] cf. *Schmalzgr.* III. tit. 36. n. 35.

teresse habentes."[1] Nostro judicio, citatae illae Constitutiones non prae se ferunt scopum alium, nisi ut tueantur jura aliarum familiarum religiosarum, quae ex eleemosynis vivere coguntur. Unde distinguemus forsitan melius: Si novi conventus praejudicium inferrent congruae et legitimae sustentationi parochi—quod quidem fieri potest—putamus Episcopum parochum audire debere, de eius vero consensu minime pendere. Non denegamus parocho jus recurrendi ad Sedem Apostolicam (pro Americis Foed. ad S. C. de Propaganda Fide) a decisione Episcopi erectionem approbantis. Attamen parochus tunc tantum erit victor, si stricta jura parochialia laedantur.[2] Minor concursus populi diebus de praeceptis non est ratio, per se sufficiens, cur parochus se opponat.

Quoad *moniales* nihil statuitur expresse in jure, unde quoad ipsas consensus alterius non requiritur praeter Ordinarii licentia, supponondo, quae superius diximus.

Ad 2^m^. Videndum est, quaenam ex parte *conventus noviter* erigendi requirantur.

Sunt praesertim duae conditiones, sc. *a*) congrua sustentatio habitantium in novo monasterio, quod valet juxta decretum Tridentinum tum de virorum tum de mulierum monasteriis, tum de mendicantibus tum

[1] cf. *Bouix*, I. p. 269; *Craisson*, n. 2554.

[2] *Aichner*, l. c. p. 469. Jura parochialia sunt: (*a*) ut fideles sacramenta Baptismi, Comm. paschalis, Extremæ Unctionis et Matrimonii a parocho recipiant; (*b*) ut sepeliantur ex parochia, nisi habeant sepulcrum maiorum vel electivum; (*c*) ut ecclesiæ parochiali solvantur decimae et oblationes ad istam pertinentes. cf. *Smith*, Elements, n. 650 sq.

de non mendicantibus; "is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari."[1]

b) *Numerus certus*, qui invenitur stabilitus in Const. Greg. XV "*Cum alias*" d. d. 17. Aug. 1622: "De caetero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium cuiuscunque (etiam mendicantium) ordinis, societatis, et instituti, quocunque nomine nuncupentur . . . . non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres aut monachi seu religiosi, inhabitare ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant."[2] Ex qua institutione posset deduci omnino non licere conventum erigere, quin 12 fratres ibi habitare et sustentari valeant sub quacunque conditione. Attamen *Urbanus VIII* die 21. Junii 1625 magis determinavit sensum praedictae Const. Greg. XV suo decreto, quo stabilivit ut erectio non simpliciter sit prohibita cum numero minus 12 fratrum, sed hoc in casu (nempe quo non 12 fratres habitare et ali possint) "Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae jurisdictioni" subjecta (sc. monasteria talia, ubi minus quam 12 habitare possunt) esse intelligantur.[3]

Attamen hoc decretum effectu caret pro hac nostra regione juxta Const. *Leonis XIII* "*Romanos Pontifices*," ubi statuitur quod etiamsi 3 vel duo vel 1 tantum in

[1] sess. 25. c. 3. de Regg.
[2] cf. *Ferraris*, "Conventus," a. 1. in initio.
[3] cf. *Ferraris*, l. c.

novo monasterio inhabitent, exemptione nihilominus gaudet talis conventus.[1]

Quaeritur de monialibus (cum votis sol.), utrum ipsae in erectione numerum praescriptum (12) attendere debeant. Negat Bouix[2] putans "de jure communi saltem" non requiri istum numerum, quia constitutiones cit. non loquuntur nisi de virorum conventibus. Dicit autem Ferraris[3] esse necessarium; Craisson[4] dicit assertioni Bouixianae contrariari Analecta (F. P. 22 fasc. col. 169).

[1] cf. *Smith*, Elements, n. 248.
[2] Jus Reg. I. p. 308.
[3] v. "moniales."
[4] *Manuale*, n. 2565.

CAPUT III.

DE INGRESSU IN RELIGIONEM.

Ingressio in statum religiosum tria momenta sibi gradatim succedentia comprehendit: 1° novitiorum admissionem, 2° novitiatum et 3° professionem religiosam. Haec tria pro rei gravitate sunt expendenda; antequam tamen juxta canones rem apponimus, non videtur abs re, ut *historice* rem consideremus.

A. *Historica* elementa haec fere sunt:

1. Extitisse jam in primis monachismi temporibus *tempus quodam probationis*, antequam efficerentur postulantes veri religiosi, enarrant veteres monachales Regulae. Jam Cassianus loquitur de uno anno, quo noviter veniens probatur et quidem in xenodochio, monasterio adnexo.[1] Idem tempus praescribunt Regulae S. Caesarii Arelatensis (pro sacris virginibus c. 3), S. Ferreoli (c. 5), S. Fructuosi 1. (c. 21.)[2] Ast annuam probationem aliquando ex justis rationibus contrahi permittunt S. Caesarii, S. Ferreoli, S. Fructuosi, Tarnatensis Regulae, et Ferreoli quidem ad sex menses.[3] S. Benedictus vero nihil relaxari vult de spatio annuae probationis, nullam rationem adducens pro tali relaxa-

[1] Inst. l. IV. c. 7.
[2] *Migne*,
[3] ibid.

tione.[1] Haec conditio postea transit in Corpus Juris clausum cum mitigatione, ut justis ex causis annua probatio contrahatur.[2] Et *Tridentinum* hoc solemniter sancivit statuens: "In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec *qui minore tempore quam per annum* post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur."[3] Haec de viris religiosis. Quid de *monialibus*? *a*) Antequam monasteria propria extiterunt pro monialibus, generatim vocabantur virgines sacrae, virgines Deo devotae ob votum castitatis. Tempus fixum pro velandis virginibus non videtur extitisse. Attamen antequam ab Episcopo velabantur virgines, ipsae sibi vel parentes earum velamen vel tunicam ipsis imponebant. Imo ex distinctione inter virgines velatas et non velatas "quae tamen propositum habebant manere"[4] videtur non incongrue posse inferri et apud ipsas tempus aliquod probationis extitisse.

b) Hoc jam patet ex Regula S. Caesarii Arelatensis ad virgines (c. 3): "Ei ergo quae Deo inspirante convertitur, non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antea in multis experimentis fuerit voluntas illius approbata, sed uni ex senioribus tradita annum integrum in eo, quo venit habitu, perseveret."[5] Hanc praxim per medium aevum perdurasse apparet ex textibus Juris citatis.

[1] S. *Regulae*, c. 58.
[2] c. 1. C. 17. q. 2; c. 16. X. (III. 31).
[3] sess. XXV. c. 15.
[4] cf. *Siricii* ad Gallos, c. 1; *Migne*, 13. 1183.
[5] *Migne*, 66, 816.

2. *Aetas* nunc, consideranda venit. Non constat certe quonam aetatis anno adolescens Tridentino prioribus saeculis ad habitum admittebatur. Nam varia quidem sunt documenta, attamen non tam distincte loquuntur, utrum aetas praescripta attendatur secundum receptionem ad novitiatum an secundum professionem.

a) Patres non praescripserunt aliquod tempus fixum. "Non ergo, inquit S. Ambrosius, aetas rejicitur florentior, sed animus examinatur."[1] Constat Asellam "non multo excessisse annum 10."[2] Circa saeculum IV. ergo non videtur fixum esse aliquod tempus.[3] S. Basilius utique consulit non ante annum 16 vel 17 assumendum esse aliquem in religionem et postea addit: "Rationisque compos et diu examinata probataque perseveraverit."[4] Ex quo simul apparet agi de professione.

b) Diversa apud varias gentes est disciplina inde a saeculo IV. Synodus *Caesaraugustana* (Hisp.) anno 380, c. 8. praescribit annum 40 pro virginibus velandis.[5] Eiusdem tenoris est dictum *Leonis I* in libro Pontificali. "Hic constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate XL annos"[6] Item Maiorianus imperator.[7] Congruit ergo

[1] cf. *Thomass.* Vet. et Nov. Eccl. Disc. I. l. III. c. 42. n. 18.

[2] *Hier.* ep. 44; *Migne*, 22. 427.

[3] cf. *Wilpert*, Die gottgeweihten Jungfr., Herder 1892, p. 24. sqq.

[4] *S. Bas.* ep. 199.

[5] *Mansi*, III. 635; cf. *Spreitzenhofer*, Die Entwicklung d. Mönchthums in Italien, Wien 1894, p. 58 sq.

[6] *Duchesne*, Lib. Pontif., ed. Paris 1886, Vol. II. p. 90. Aliqua MSS. exhibent LX.

[7] Nov. tit. 8. anno 458; cf. *Baron.* An. Eccl. VI. ad an. 458.

ecclesia *Romana* cum Hispanica. Non ita *Africana* in qua annus 25 requiritur ante quem completum a Concilio Milevitano (416) professio solummodo in casibus extraordinariis (e.g. infirmitatis, timoris raptus vel violationis) conceditur.[1]

c) Saeculo VI. iam apparent documenta, quae etiam pro monachis (non solum virginibus velandis) valent. *Greg. M.* (590–604) statuit quoad istos: pueros in iisdem monasteriis ante decem et octo annorum tempora suscipi prohibebimus. (Ep. 48. l. I.)[2] Idem statuit Gregorius IX in sua pro Benedictinis monachis Constitutione.[3] Eundem annum pro professione requirit Synodus Oxoniensis. (an. 1222.)[4] Tandem *Tridentinum* annum 16 statuit.[5] (sess. 25. c. 15.) Porro ista aetas ab isto Concilio requiritur tum pro viris tum pro monialibus, saltem quoad professionem.

3. *Libertas* requiritur jam a SS. Patribus.[6] Non potest tamen negari accidisse quandoque ut parentes filias difformes coegerint ad sumendum velamen.[7] Deinde etiam factum est, ut parentes filios et filias obtulerint Domino in monasterio. Quam praxim S. Benedictus in sua Regula approbavit.[8] Sed quid dicendum est de

[1] Codex cc. eccl. afr. can. XVI; *Mansi*, III. 718; IV. 334; cf. cap. IV. Conc. Carth. III. an. 397; *Mansi*, III. 880.

[2] *Migne*, 66. 830.

[3] ibid.

[4] *Migne*, 66. 831.

[5] cf. supra.

[6] cf. *Hier.* ep. 22; *Migne*, 22. 407; *Amb.* De virgg. l. I. c. XI; *Migne*, 16. 206.

[7] cf. *Hier.* ep. 130; *Migne*, 22. 1111.

[8] cf. S. Reg. cc. 30, 37, 59, 63.

puerorum istorum libertate, quando ad annum pubertatis pervenerunt? Erantne liberi ut jugum Regulae excutere possent? Dicendum est cum Martène, nequaquam liberum fuisse pueris ad saeculum redire. Citat dein auctor pro sua sententia variorum conciliorum canones, uti Conc. Toletani IV. cc. 49 et 55; Wormatiensis c. 2; Triburiensis c. 6.[1] Congruunt isti canones cum Regula S. Benedicti ubi exhereditari vult pueros, ne "ulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit."[2] Idem exhibet Regula S. Isidori.[3] Hoc idem valuit tempore regni Carolingorum, uti fuse probat Thomassinus, quam praxim auctor vocat inclementiam.[4] Attamen circa saeculum XI. et XII. invaluit praxis quae possit vocari magis clemens, qua pueri et puellae, qui ab amplectando statu religioso abhorrebant, discedebant a monasterio, imo expellebantur, in casu, quo male se gerebant,[5] ne disordinatio subreperet in monasteriis.[6] *S. Thomas* porro docet pueros recipiendos quidem esse, sed non obligari voto ante annum pubertatis emisso nisi ad usum rationis pervenerint. At etiam in hoc casu (si annum rationis habuerit) obligatio voti posse revocari per auctoritatem patris. Hoc, dicit, valere de voto simplici, ad quod pueri possint admitti. Votum solemne—quod tamen non est omnino eiusdem rationis ac hodier-

[1] cf. *Migne*, 66. 845.
[2] c. 59.
[3] c. 4; cf. *Migne* l. c.
[4] *Vet. et Nov. Eccl. disc.* P. I. l. III. c. 47. n. 4 sq.
[5] cf. *Thomass.* ibid.
[6] *Migne*, 66. 847.

num—non habet ullum effectum ante pubertatem adeptam.[1] Perfecta libertas jam requiritur a Decretalibus Gregorii IX.[2] Concilium Tridentinum etiam hac in re libertatem vult servatam.[3] Ad libertatem revocari potest etiam *servilis conditio*. S. Benedictus nullum omnino excludit a servitio Dei;[4] attamen non eo ipso dicendum est S. Legislatorem absque discrimine vel judicio servos suscepisse. Aliae Regulae, uti S. Ferreoli (c. 5) et S. Fructuosi (c. 4) volunt interrogari servos utrum liberi sint.[5] Idem statuit imperator Justinianus: "quod nulli servili conditioni obnoxius sit." Unde etiam in Decreto Gratiani requiritur, ut servi absque licentia domini non suscipiantur.[6]

Quoad *conjugatos* est fere unanimis opinio, quod absque licentia alterius consortis non potuerint suscipi.[7] Severiori tamen praxi favet S. Basilius.[8] Imo et lex humana huic praxi severiori, quod sc. absque consensu alterius conjugis alter possit fieri religiosus, olim favebat, ut dicit S. Gregorius Magnus.[9] Attamen lex ecclesiastica sibi semper constans permansit.[10]

4. De *ritu Professionis*.

[1] Summa Theol. 2–2, q. 109. a. 5.
[2] c. 1. X. (I. 40); c. 10. C. XX. q. 1.
Sess. XXV; c. 17; de Regg.
cf. S. Reg. c. 2.
[5] cf. *Migne*, 66. 805.
[6] Nov. 123.
[7] c. 3. C. 17. q. 2; c. 12. C. 16. q. 1.
[8] *Migne*, 66. 807.
[9] *Migne*, l. c.
[10] cc. 3. et 13. X (III. 32).

Jam saeculis monachismi prioribus virgines sacrae ritu quodam consecrabantur, si istae fuerunt de velatis publice. Fiebat ceremonia, quae vocabatur "velare, velamine tegere, velamen accipere, claudere, operire, abscondere (faciem), Deo, Christo nubere, spondere,"[1] publice ante altare ab Episcopo et quidem praesertim die paschatis vel solemnioribus festis, cum impositione manuum et precibus et allocutionibus.[2] Porro haec ceremonia jam erat solemnis, non vero privata. Ista (privata) nempe potuit fieri, eo modo, ut virgines sibi ipsis velamen imponerent vel parentes hoc facerent domi; quo in casu vero non inter virgines (proprie) velatas, sed non velatas enumerabantur, cum proposito tamen "sic manere."[3] Si quis vult in hac privata ceremonia cum Thomassino[4] invenire voti nostri simplicis ideam, forsitan non improbabile quid statuet; caveat tamen ne confundat omnino. Certum est, quod etiam monachi nonnisi unam professionem pub-

[1] cf. *Wilpert*, Die gottg. Jungfr. pp. 7, 15.

[2] cf. S. *Amb.* De Virgg. I. c. 11. et c. 7. *Migne*, XVI. 206. 199.

[3] cf. Epist. *Siricii* Papae (385–398) P. L. *Migne*, XIII. 1183 sq. Ita *Walter*, Kirchenrecht, ed. XIV. § 307[7], putat in hac distinctione quasi in nucleo continere differentiam inter votum solemne et simplex; dum alii originem trahunt huius distinctionis vel ex Gratiano (+1150 vel 1151), vel ex Conc. Lateranensi II. (1139); *Walter*, ibid. Attamen ista distinctio nec universalis erat, nec quoad vere religiosos adhibebatur. Saltem incognita videtur fuisse tempore S. Elisabeth Thüringensis, quo illae tertiariae dumtaxat vocabantur religiosae, quae votum solemne i.e. professionem emiserunt; cf. *Nilles*, l. c. p. 1. et glossam ad c. 3. Clem. (V. 10). Et quoad viros vide, quae ex S. Thoma sumpsimus.

[4] Vet. et Nov. Eccl. Discip. I. l. III. c. 39. n. 529.

licam cum ritu exteriori [1] emittebant, et hanc vocat *S. Thomas* votum solemne. "Duplex," inquit S. Doctor, "est religionis votum: unum solemne, quod hominem facit monachum vel alterius religionis fratrem, quod vocatur professio; et tale votum debet praecedere annus probationis; aliud est autem votum simplex ex quo aliquis non fit monachus, vel religiosus, sed solum obligatus ad religionis ingressum; et ante tale votum non oportet praecedere probationis annum." [2] Ergo professio solemnis uti nunc communiter intelligitur S. Thomae nondum cognita fuit. Et haec quidem praxis usque ad tempus C. Tridentini extitisse videtur, ea nempe, quae considerabat professionem post annum probationis emissam in aliquo ordine approbato tanquam votum solemne. Concilium Tridentinum nihil dicit circa distinctionem votorum regularium. Ast novi quid introductum fuit pro "Coadjutoribus formatis" et "Scholasticis" Societatis Jesu per Constitutiones Gregorii XIII "Decet Romanum Pontificem," "Quanto fructuosius" (1582) et "Ascendente Domino" (1584). Nam membra ista praedicta cl. Societatis sunt veri religiosi, quamvis vota simplicia tantum dicantur emittere post biennium novitiatus. Ratio novi lucet in eo, judicio meo, quod professio religiosa illorum (Coad. et Schol.) cum nuncupatione trium votorum substantialium vota simplicia dumtaxat constituat. Unde utique necessarium fuit, ut a Summo Pontifice illi declarentur veri nominis religiosi. Hoc videtur innui ex facto

[1] cf. *Martène* in reg. S. Bened.; *Migne*, 66. 826 sqq.
[2] Summa Theol. 2-2, q. 189. a. 2. ad 1^m.

quod tempore Sixti V (1585–1590) aliqui propugnarunt eos qui simplicia vota emiserunt—utique in Societate Jesu—dimitti non posse, nisi servata ordinarii judicii forma.[1] Curnam? Non videtur alia ratio adfuisse nisi quod isti pugnatores juxta antiquam praxim tenuerunt nuncupationem 3 votorum in ordine approbato aequare vota solemnia. Quod etiam alia ratione adhuc probari potest. Benedictus XIV nempe declaravit Const. "Delata" 21. Martii 1747, "vota a Conversis Cisterciensibus in Professione emissa non simplicia, sed solemnia" esse.[2] Haec vero vota emittuntur, ut ibidem dicitur post annum novitiatus expletum juxta formulam in regula S. Benedicti (c. 58) contentam. Si porro dicitur "correctum fuisse saeculo XVI antiquum jus, quo sine votorum solemnitate nemo poterat esse vere proprieque dictus religiosus,"[3] hoc utique verum est quoad dictos Sodales Societatis Jesu, uti Benedictus XIV diserte affirmat.[4] Sed nihil immutatum fuit quoad alios Ordines. In istis nempe professio religiosa post annum novitiatus adhuc constituebat vota emissa quâ solemnia. Exstitit ergo haec praxis adhuc tempore Benedicti XIV. Verum sensim videtur alia praxis invaluisse, nempe ut ante vota solemnia, prius emitterentur simplicia ad plus minusve tempus. *Pius IX* demum decreto "Neminem latet" d. 19. Martii 1857, praxim sancivit, qua in votis

[1] cf. *Bened.* XIV, De Synodo dioec. l. XIII. c. XI. n. 22.

[2] De Synodo dioec. l. c. n. 28.

[3] *Nilles,* Disputationes Academicae Juris Eccl. Oeniponte 1886, p. 6.

[4] De Synodo dioec. l. c. n. 29.

simplicibus per 3 annos quis peragere tenetur, antequam ad solemnia admittatur.[1]

Articulus I.

De Novitiorum Admissione.

Quia religiosus et religiosa familia contractum quendam concludunt in actu professionis, novitiatusque probationem prae se fert, utrum contractus iste ex utraque parte bene possit impleri, inde loquendum est de qualitatibus admittendorum, de conditionibus a parte suscipientis et de quibusdam requisitis, quae jus ecclesiasticum vult observata. Unde:

§ 1. *De Admittendis.*

Admitti possunt omnes qui jure vel communi vel particulari Ordinis uniuscuiusque non excluduntur. De jure communi dumtaxat hic loquimur. *Excluduntur* porro de lege fere universali aliqui:

1. Ex *defectu mentis*, scilicet fatui et amentes, qui quidem, si habeant lucida intervalla, valide possunt recipi,—at certe non congruenter reciperentur.[2]

2. Ex *defectu corporis* nihil habetur expressi in jure. Instructio pro examinatoribus admittendorum requirit —utique non ad validitatem—ne admittendi laborent deformitate notabili neve signum infirmitatis prae se ferant.[3]

3. Ex *defectu natalium* illegitimi non quidem exclu-

[1] cf. *Bizz.* l. c. p. 853 sq.

[2] c. 15. X (III. 31).

[3] vide *Bizzarri*, "Collectanea," ed. 1885, p. 848. n. 5.

duntur, "dummodo filius illegitimus in Religione, in qua pater sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente non admittatur."[1] At et hoc non ad validitatem.[2]

4. Ex *defectu libertatis*. Ex hoc capite plures excluduntur:

a) *Filii*, quorum parentes, actu sunt vel brevi futuri sunt in extrema vel gravi necessitate.[3] Possunt tamen et taliter constituti filii ingredi si nulla spes effulgeat, quod isti possint indigentiae parentum aliquando succurrere, vel si periculum adsit proximum peccandi nisi religionem ingrediantur, vel si parentes ipsos provocarent ad peccatum.[4] Si volens ingredi habeat fratres et sorores, qui extrema, vel si adhuc sub cura parentum constituti, gravi necessitate laborant, tenetur ingressum differre, nisi votum ingrediendi emisisset; quia hoc in casu non posset longius differre ingressum.[5] Ex altera parte *parentes* non possunt recipi, qui habent filios constitutos in gravi necessitate aut sufficienti destitutos educatione, non proviso qualiter educari possint.[6]

[1] Const. *Gregorii XIV* "Circumspecta," d. 15. Martii 1591; *Bizz.* l. c. p. 846.

[2] *Bizz.* ibid. nota 2.

[3] *Bizz.* ibid. Gravis necessitas cadesset, quando vita sustentari nequit absque magna difficultate. aut nisi cum magno dedecore, vel notabiter cadendo a proprio statu. cf. *Piat.* Praelect. Juris Reg. Tornaci II ed. I. p. 51.

[4] cf. *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 40, *Piat.* I. p. 52.

[5] *Piat.* I. p. 56.

[6] S. *Thom.* 2–2, q. 189. a. 6. cf. *Marc* Institutiones Morales; II. n. 2137. n. 3.

b) *Conjuges*, circa quos haec tenenda sunt:

1° Matrimonium *ratum*, non consummatum, non impedit ingressum in religionem alterutrius partis, etiam invitae. Constat ex jure canonico.[1] Conceditur propterea cuique conjugi bimestre ad deliberandum, utrum vellet in conjugio manere an ingredi religionem. Bimestre istud computandum est a die termini praefixi a judice. Idem valet si mulier vi a viro cognita fuerit intra hoc bimestre.[2]

2° Matrimonio etiam *consummato* alteruter conjugum potest ingredi Religionem in sequentibus casibus:

α) Si altera pars, non per fraudem, vim vel metum, sed libere consentit. At hoc in casu, si pars consentiens sit juvenis vel in periculo incontinentiae versetur, ingrediatur et ipsa Religionem. Si vero sit aetate jam provecta pars consentiens—quoad mulieres 50 anni, quoad viros 60 anni requiruntur, ut quis provecta aetate vel senex putetur—potest in saeculo manere, debet tamen votum perpetuae castitatis coram auctoritate ecclesiastica et testibus vovere.[3]

β) Si altera pars adulterium commisit. Attamen hoc in casu, concedenda non est licentia ingrediendi Religionem nisi prius civili obtento divortio.[4]

γ) Si altera pars commiserit adulterium spirituale, i.e. lapsus fuerit in haeresim, vel adhaeserit manifeste

[1] c. 2. X (III. 32).

[2] cf. *Santi*, Praelectiones, ed. Pustet 1898, l. III. tit. 32. n. 1, p. 314 sq. In hoc ultimo casu vir remanet obstrictus vinculo matrimoniali.

[3] *Santi*, l. c.

[4] *Santi*, l. c. p. 317.

sectae haereticae vel apostataverit vel infidelis factus fuerit.[1]

c) *Episcopi* confirmati, etiamsi nondum consecrati; ob matrimonium spirituale quod cum ecclesia sua contrahunt, non possunt recipi valide absque consensu Summi Pontificis.[2] Dantur tamen casus, in quibus S. Pontifex dat consensum, e.g. ob crimen admissum, defectum scientiae, malitiam plebis, grave scandalum, irregularitatem, vel quando alius facile haberi poterit capax muneris pastoralis.[3]

d) Quoad *clericos* dicendum est, ipsos posse ingredi religionem, quia nullo jure hoc prohibetur, etiamsi in seminariis sumptibus ipsius fuerint educati, nisi forsitan fundatores conditionem aliquam ingressum in Religionem prohibentem apposuissent.[4] Et haec licentia ingrediendi clericis etiam beneficiatis, e.g. curam habentibus animarum conceditur. At si Episcopus aestimaret ex tali ingressu ecclesiam sustenturam fore gravem jacturam, illum clericum posset reclamare, etiamsi professionem emisisset.[5] Non tenetur clericus ad licentiam petendam ab Episcopo, saltem ad valide Religionem ingrediendum. Dictat tamen lex naturalis, ut

[1] *Piat.* I. p. 63.

[2] c. 18. X. (III. 31); cf. *Santi*, l. c. p. 292; c. 2. X (I. 7); c. 10. X (I. 9). Titulares episcopi etiam videntur excludi. cf. *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. IV. p. 129.

[3] *Schmalzg.* l. III. tit. 37. n. 25.

[4] cf. *Nilles*, Disputationes selectae, p. 55 sqq.; Const. *Benedicti XIV*, "Ex quo" d. 14. Jan. 1747; *Piat.* I. p. 74; *Bouix*, I. p. 542 sqq.

[5] *Benedicti, XIV*, cit. Const.

clericus animarum curam habens Episcopo inconsulto non deserat oves sibi commissas.[1] Nec tenentur clerici ad restitutionem seminario faciendam.[2] Attamen observa, praesertim pro hac nostra regione Americae Sept. statutum fuisse, clericos qui titulo missionis ordinati fuerint et juramento obstricti inserviendi ecclesiae, non posse absque dispensatione Sedis Apostolicae Religionem ingredi, obstante juramento.[3]

e) *Religiosi* in alio Ordine vel Congregatione professi non possunt admitti ad habitum in altero Ordine, nisi certis sub conditionibus, de quibus ubi de transeuntibus loquemur.

f) *Reddendae rationis obnoxii* inhabiles existunt ad habitum suscipiendum, uti declaravit Sixtus V "Cum de omnibus" d. d. 1. Dec. 1587.[4] Clemens VIII Const. "In suprema" d. d. 2. Junii 1602, illicitam tantum declaravit illorum admissionem.[5] Intelligenda est prohibitio haec, sive agitur de administratione publica sive etiam de privata.[6] Restringitur vero juxta Const. Sixti V prohibitio haec ad casum, quo vel hic et nunc pendeat propter rationes reddendas lis aut molestia, vel timendum sit ne inferatur. Hinc admitti potest postulans qui absque lite et absque notabili molestia, ab istis administrationibus expedire sese posse prudenter

[1] ibid. cf. *Bouix*, I. p. 548.

[2] S. C. *Concilii* d. 26. Feb. 1695, apud *Piat.* I. 74.

[3] cf. Conc. *Baltimor.* III. n. 61. S. C. de Prop. Fide 30. Nov. 1885; *Smith*, Elements, ed. 8. Vol. I. n. 589.

[4] cf. *Bizzarri*, 845.

[5] cf. *Bouix*, 537.

[6] *Suarez*, De Relig. l. V. c. 7. n. 20.

existimat.[1] Comprehendit vero ista prohibitio tutores pupillorum, patronos et procuratores, sive in re materiali sive spirituali (educatione, provisione), executores testamentorum.[2]

g) Ingenti *aere alieno* supra vires facultatum suarum *gravati*, uti Const. cit. *Sixti V* statuit.[3] Adverte 1° Juxta Const. Clem. VIII "In suprema" d. d. 2. Junii 1602 illicita tantum, non tamen irrita foret admissio et professio horum aere alieno ingenti gravatorum. 2° Hoc valet etiam de iis, quibus nulla spes effulget debita quandoque solvendi. Hoc de jure positivo.[4] 3° De *jure naturali* potestne aero alieno gravatus Religionem ingredi? Responsio est triplex: 1ª negativa; 2ª affirmativa; 3ª distinguit: Si infra triennium (alii: biennium) debitor speret magnam debitorum partem solvi posse, tenetur expectare, alias non.[5] Quae ultima sententia Ligorio videtur probabilior (lib. IV. n. 71).

5. Ex *defectu famae* arcentur criminosi, i.e. illi qui "homicidia, furta, latrocinia vel alia similia aut graviora commiserunt." Const. *Sixti V* "Cum de omnibus" d. 1. Dec. 1587.[6] Circa *criminosos* haec teneas:

1° Eorum admissio est illicita, non vero invalida. Const. *Clementis VIII* "In suprema" d. 2. Junii 1602.[7]

2° Eorum crimina debent esse notoria juris, non

[1] *Bouix*, p. 537.
[2] *Craisson*, n. 2632.
[3] cf. *Bizz.* p. 847 sq.
[4] cf. *Bouix*, p. 536.
[5] cf. *Craisson*, n. 2634.
[6] cf. *Bizzarri*, Coll. p. 845.
[7] ibid.

tantum facti, i.e. debet constare actibus publicis judices et curiam saecularem ante susceptionem habitus adversus eos accusationem suscepisse vel inquisitionem instituisse. Ita Const. *Sixti V* "Ad Romanum spectat," d. d. 13. Nov. 1588.[1]

3° Si in judicio sit absolutus, quamvis crimen (occulte) commiserit, licita est admissio. Quae admissio est, juxta Suarez, etiam tunc licita si poenam absolverit.[2]

6. Ex *defectu aetatis* excluduntur qui annum 15 nondum expleverint, si ad gradum clericorum velint recipi; vel annum 20 nondum expleverint, si tanquam conversi velint admitti juxta decretum S. C. super statu Regularium d. 16. Maii 1675. Imo juxta hoc decretum non possent admitti vel tanquam oblati vel Tertiarii ante annum 15 (resp. 20).[3] Nec desuetudo nimis facile concedi debet,[4] cum Pius IX "Neminem latet" d. 19. Martii 1857 huic aetati iterum institerit.[5] Quod decretum pro universali Ecclesia valere nemo negabit. Decretum vero refert ad Const. Clementis VIII "In suprema," in qua dicitur: "Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, et nisi saltem praecipua doctrinae christianae capita noverint."[6]

Notandae sunt etiam *poenae* quae statutae sunt contra illos, qui personam inhabilem recipiunt. Porro

[1] cf. *Bizzarri*, Coll. p. 845.

[2] De Religione, l. V. c. VII. n. 19.

[3] *Bizz.* l. c. p. 274.

[4] Ita putat *Craisson*, n. 2638.

[5] *Bizz.* l. c. p. 854 sqq.

[6] cf. *Piat.* I. p. 81. Unde concluderes conversos posse recipi anno vigesimo incepto, non expleto; quia Pius IX ad Const. Clem. refert, ubi "expletum" deest.

Sixtus V voluit omnes contra suam Const. "Cum de omnibus" agentes esse privatos voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus [1] et incapaces ad obtinenda officia talia in futurum.

Quoad *moniales* Sixtus V ipse declaravit dicta quoad inhabiles, ratione defectus natalium, criminis, aeris alieni et reddendae rationis, suscipientes non valere et proin nec poenis plectendas.[2] Quoad *aetatem puellarum* admittendarum attendendum est decretum S. C. E. E. et R. R. d. 23. Maii 1659, juxta quod requiritur annus 15 expletus. Unde ut possit puella vestiri antequam dictum annum expleverit, requiritur indultum Apostolicum.[3]

7. Si quis *defectu vocationis* laboraret non potest suscipi dictante hoc lege naturali et etiam divina (saltem generali).[4] Loquuntur auctores de generali et speciali vocatione. Prior est nihil aliud quam proposita a Christo invitatio ipsum sequendi in via perfectionis. Specialis est actus divinae providentiae vocantis modo speciali ad statum perfectionis amplectendum. Quidam auctores defendunt specialem vocationem requiri ad licite amplectendum statum religiosum—quod videtur modo agendi divinae providentiae maxime congruum et statui religioso necessarium—dum alii generalem vocationem dicunt sufficere.[5]

[1] cf. Const. *Sixti V*, "Ad Romanum spectat."

[2] ibid.

[3] *Ferraris*, "Moniales," art. 1. n. 72.

[4] cf. I. *Cor.* VII. 7. 17; *Heb.* V. 4; I. Joan. IV. 1; Regula S. *Benedicti*, c. 58.

[5] cf. *Piat.* I. p. 32 sq.; *Marc.* Inst. Moral II. n. 2142; *Lehmkuhl*, I. n. 506 sq., et Moralistas passim.

§ 2. *De his qui possunt admittere.*

Quaeritur nunc *quinam habeant potestatem admittendi.* Dicendum est: 1. *Ordinario* loci (Episcopo) *nullam* competere *potestatem* ut religiosam familiam (et hoc valet etiam de Congregationibus cum votis dumtaxat simplicibus) [1] cogat ad recipiendum aliquem vel impediat quominus admittat.[2]—Quoad *moniales* praxis saltem fert ut ipsae licentiam (sive scriptam, sive viva voce datam) Ordinarii obtineant vel Praelati regularis, si isti sunt subjectae.[3] At et moniales non possunt cogi ab Ordinario ad recipiendam aliquam nisi in duobus casibus, sc. 1° ex jure particulari quod Ordinarius forsitan ex privilegio vel praescriptione obtinuerit, 2° eo in casu quod monasterium opulentum numerum praescriptum vel consuetudinarium monialium nolit supplere quamvis saepius monitum; quia Episcopus potest supplere negligentiam superiorissae.[4] At non videtur Episcopo competere certam personam monasterio imponere, quia vocationem Ordinarius non potest dare.

2. Competit vero *religiosae familiae* jus suscipiendi exclusive, at in ipsa non ad solum Superiorem, sed ad totam communitatem, quae potest representari "per tres saltem ex antiquioribus patribus unius monasterii aut domus," qui votum dent de recipiendo novitio.

[1] cf. *Bouix*, I. p. 558.
[2] cf. *Suarez*, de Relig. l. V. c. 10; *Bouix*, I. p. 556 sq.
[3] *Craisson*, n. 2642.
[4] *Ferraris*, "Moniales," a. 1. n. 82.

Ita *Sixtus V* "Ad Romanum spectat." *Clemens VIII* "In suprema" hunc modum ad liceitatem restrinxit, salvis poenis latis in Const. Sixti V citata. Quoad numerum suffragiorum haec sunt addenda:

α) Sufficit ut maior pars consultorum (et idem valet si agitur de tota communitate) consentiat cum Abbate vel Provinciali.

β) Si sunt tres consultores cum Abbate vel Provinciali, si unus stat cum isto et alii duo contra ipsum, admittendus est postulans.

γ) Si Abbas vel Provincialis est pro admissione et omnes alii contra admissionem, non est admittendus postulans. Quoad Italiam, Insulas adjacentes et Sabaudiam [1] attendendum est decretum Pii IX d. 25. Januarii 1848 "Regulari disciplinae," juxta quod constituatur certus numerus examinatorum ex gravioribus religiosis eligendorum, qui judicium ferant de admittendo, et ii tantum ad habitum admittantur, qui unum saltem supra medietatem suffragiorum obtinuerint.[2] Quae statuta sunt a Sixto V Const. "Ad Romanum spectat," Gregorio XV "Circumspecta," et Clemente VIII "In suprema" pertinent ad Jus Regularium commune, cui derogari potest per Regulam vel Constitutiones cuicunque Ordini proprias.[3]

[1] cf. Declarationes apud *Bizz.* p. 841. n. 8.
[2] *Bizz.* p. 832. sqq.
[3] cf. *Piat.* I. p. 88.

§ 3. *De Requisitis ad admissionem.*

Hic agendum est de litteris informatoriis, quas a suscipiendis exigere tenentur Superiores regularium et dein de dote afferenda, praesertim monialium. Unde

1. de *informatione:*

a) Informatio ista circa qualitates suscipiendi jam praescripta est a Sixto V in saepe citata Const. "Cum de omnibus" et quidem ita ut ista informatione praetermissa invalida sit admissio.[1]

b) Clemens VIII Const. "In suprema" ad liceitatem restrinxit necessitatem informationis.[2]

c) Tandem Decretum S. C. super statu Regularium jussu Pii IX d. 25. Januar. 1848, editum inc. "Romani Pontifices" sequentia praescribit:

α) Quidnam, *a quonam* et in quibusnam domibus religiosis observandum sit circa recipiendum. "In quocunque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis individua et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii Originis tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit."

[1] cf. *Bouix*, p. 568.

[2] cf. *Bizzarri*, Collectanea, p. 481.

Porro ad haec adnotanda sunt, quae Bizzarri vocat declarationes:[1]

1° Hoc decretum *ubique* terrarum *viget.*

2° Sufficiunt testimoniales ab Ordinariis datae per litteras *privatas.*

3° Si Ordinarii a Superiore conventus requisiti de testimonialibus dandis respondeant se *non agnoscere postulantes,* isti possunt admitti "dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem et fide dignam relationem supleantur et serventur alia de jure servanda; et postulantes antequam ad habitum admittantur, maneant saltem per tres menses in conventu ibique diligenter probentur."

Ista accurata informatio et fide digna relatio tunc habetur, si fit per duos saltem testes, qui jusjurandum debent emittere de suis relationibus, adhibito etiam notario sive ecclesiastico sive saeculari.[2]

4° Si Ordinarii testimoniales dare nollent eo quod susceptioni talis Postulantis *oppositi* essent, recurrendum est ad S. Congregationem super statu Regularium.

5° Ubi Oblati suscipiuntur, testimoniales dandae sunt ante susceptionem habitus Oblatorum.

β) Quaenam res in testimonialibus exprimendae sint, ita enunciat decretum cit.: "Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantium qualitatibus referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia;

[1] cf. *Bizzarri,* Collectanea, p. 839 sq.

[2] cf. *Bouix,* p. 569.

an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere . . . in iisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint."

Adnotanda sunt sequentia:

1° Sufficiunt litterae testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in dicto decreto praescribuntur, sed dumtaxat in genere de qualitatibus postulantis, at hoc in casu a Superioribus Regularibus serventur alia de jure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.[1] Porro servanda de jure sunt illa, quae diximus superius de testibus etc. (*α*. 3.) circa puncta vel elementa, de quibus decretum loquitur.

2° Praeter testimoniales requiratur proprie dicta informatio a Sixto V praescripta circa illa quae jam consideravimus, ubi de admittendis. Nam Decretum Pii IX cit. nequaquam hanc obligationem Superioribus impositam se informandi circa qualitates Postulantium abrogavit.[2]

3° Hoc decretum *non* videtur applicandum *monialibus*, quia de iis non directe loquitur.[3]

4° *Omnibus* tamen *virorum institutis* religiosis, sive

[1] cf. *Bizz.* Decl. p. 840.
[2] cf. *Bouix*, I. 575.
[3] ibid.

vota simplicia tantum sive solemnia emittentibus, uti patet ex tenore decreti.

5° "Si agatur de postulantibus in *Sacris Ordinibus* constitutis sufficere testimoniales Episcopi, qui Ordines Sacros legitime eis contulit una cum testimonialibus Ordinariorum Dioecesum, in quibus deinde ultra annum in unaquaque Dioecesi commorati fuerint," declaravit S. C. Super statu Reg. d. 29. Maii 1857.[1]

6° *a*) Quoad *Novitios alterius Ordinis* et *Professos saecularisatos* testimoniales litteras petendas esse ab Ordinario; *b*) quoad *Professos*, qui in Congregatione vel Ordine actu *permanent* dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium Ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales litteras petendas esse a Superioribus, nempe vel a Superioribus vel a Provincialibus Ordinis a quo; *c*) vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium, a Superioribus localibus; *d*) et si "Professus in diversis domibus vel conventibus commoratus fuerit sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Provincialis vel Superioris domus (quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur," eadem occasione eadem S. C. declaravit.

7° Nec omittendae sunt *poenae* statutae contra non observantes decretum dictum, nempe: poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.[2]

[1] *Bizz.* 850 sq. [2] ibid. p. 832.

8° Demum "quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae a Superioribus ipso facto incurrenda."[1] Haec omnia non tangere moniales, jam diximus. Tenenda sunt sequentia circa *puellarum* ingressum in Religionem:

1. "Puella, quae habitum regularem suscipere voluerit, . . . non ante eum recipiat . . . quam exploraverit episcopus, vel eo absente vel impedito eius vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an seducta sit, an sciat quid agat et si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat."[2]

2. Hoc valet etiam de monasteriis quae sunt superioribus regularibus subjecta, uti declaravit S. C. C. d. 9. Maii 1626;[3] imo etiam de monasteriis exemptis, uti eadem S. C. in Suesson. declaravit d. 16. Sept. 1662.[4]

3. Episcopus potest rectores horum monasteriorum compellere, ne habitum novitiae dent nisi prius episcopum certiorem faciant, ut puellae voluntatem explorare faciat;[5] potest etiam inhibere regularibus et praesertim Cisterciensibus et Benedictinis, ut sine

[1] *Bizz.* p. 832.

[2] *Trid.* sess. XXV. 17. de Regg.

[3] cf. *Trid.* a *Richter et Schulte*, ad sess. XXV. c. 17, ed. Neapol. p. 421.

[4] ibid.

[5] S. C. C. 9. Maii 1626; cf. ed. Trid. cit. p. 421.

examine Ordinarii puellas ad habitum admittant uti resp. S. C. C. in Olomuc. 7. Junii 1755.[1]

2. Nunc *de dote* 1°: monialium.

a) Certum est nihil posse exigi a monasterio a puellis ratione ingressus; hoc enim esset simoniacum.[2]

b) Monasterio pauperi licet aliquid exigere pro ingredientis sustentatione.[3]

c) Imo etiam monasterio opulento monialium.[4]

d) Insuper juxta declarationem S. C. E. E. et R. R. d. 5. Nov. 1816 constat: "eleemosynas, quae per pactum sacristiis monasteriorum monialium dari solent, non comprehendi in decreto quo propinarum solutio per moniales, dum ad habitum vel ad professionem admittuntur, fieri solita interdicitur." [5]

e) Dotis taxatio quoad moniales exemptas hodie fit a S. Congregatione E. E. et R. R.[6]

2° Quia de *pensione* vel sustentationis oblatione quoad puellas locuti sumus, juvat hic adnecti aliqua de *virorum* livellis.

a) Etiam hic valet, quod diximus superius, non licere aliquid ab ingredientibus exigi ratione ingressus, quia et hoc in casu simoniacum esset.

b) Deinde S. C. E. E. et R. R. d. 11. Dec. 1789 in causa Carmelitarum declaravit: "Non licere Superioribus Regularibus aut cuicunque Religioso particulari,

[1] cf. ed. Trid. cit. p. 421.
[2] cf. *Piat.* I. p. 89. et textus ibi citatos.
[3] *Trid.* XXV. c. 16.
[4] S. C. C. d. 18. Sept. 1683.
[5] cf. *Piat.* I. 90.
[6] id. p. 91.

intuitu admissionis ad habitum vel Professionis Novitii aliquid ab eo exigere sive ratione filiationis sive ratione expensarum, aut convivii, pastus vel quocunque alio praetextu . . . . excepto victu et vestitu illius temporis, quo in probatione fuerit."[1] Ex quo apparet non esse illicitum aliquid exigendi pro sustentatione novitii per annum novitiatus quamvis sit illicitum aliquid exigendi ratione admissionis.

c) Idem decretum declarat, *non esse illicitum* vel "Novitio vel eius parentibus aut curatoribus sponte faciendi sacristiae conventus, in quo recepit habitum vel professionem emittit, aliquam oblationem cereorum adhibendorum pro sacris functionibus dictis de causis peragendis necnon parandi Communitati Religiosae eiusdem conventus prandium, vestitionis et professionis diebus."[2]

d) At pro fratribus *Minoribus* extat declaratio S. C. E. E. et R. R. d. 30. Martii 1838, qua consuetudo exigendi a novitiis pensionem ratione victus tolerari nequeat.[3] Hoc videtur valere tantum pro ista religiosa familia, nisi velis dicere S. Congregationem sibi contradicere.

Articulus II.

De Novitiatu.

Definitio: "Novitiatus est mutuum experimentum, quo Religio ex una parte experitur mores et qualitates novitii ut videat an expediat illum admittere vel

[1] *Bizz.* 396. [2] ibid. p. 396. [3] id. p. 80.

reicere et novitius ex altera parte experitur Religionis austeritates et Statuta suamque indolem ut videat an sibi expediat illam profiteri."[1]

Quamvis ex jure divino nullum certum novitiatus tempus vel locus certus ante professionem requiratur,[2] saltem ex jure naturali aliquod experimentum requiri videtur. Jus porro ecclesiasticum omnia bene determinavit circa tempus, locum, disciplinam, jura et privilegia novitiatus, resp. novitiorum.

§ 1. *De canonica Novitiatus erectione.*

1. Certum est omnino novitiatum non posse erigi absque *Sanctae Sedis beneplacito*. Nam ita praxis S. C. E. E. et R. R. fert.[3] Unde quando nova fundatio suscipitur simul mentio facienda est novitiatus erigendi, alias posset fieri, ut professiones factae fuerint invalidae.

2. Petitio pro nostra regione dirigenda est ad S. C. de Propaganda Fide, quae deinceps respondebit pro opportunitate temporis et recommendationis ab Ordinario factae (et missae).

3. Item conditiones quasdam (et fere semper easdem) ponit, sub quibus erectio conceditur, e.g. quoad locum distinctum, regularem observantiam, sufficientem familiam religiosam, etc. Generatim requiritur, ut 3 saltem sacerdotes professi degant in monasterio, ubi

[1] *Craisson*, n. 2597, juxta *Billuart*, De Relig. diss. IV. a. 2.

[2] cf. *Suarez*, De Relig. l. V. c. 12. n. 2.

[3] cf. *Normæ S. C. E. E. et R. R.* in approb. Novis Inst., Romae 1901, n. 90.

novitiatus erigitur, et quidem ita huic ultimae conditioni insistit S. C., praesertim quando agitur de scrutinio faciendo pro admissione novitiorum ad professionem, ut aliter (sc. a minus quam tribus sacerdotibus professis) factum scrutinium invalidet professionem.[1]

§ 2. *De Novitiatus tempore.*

Quaeri potest de duratione eiusdem, de continuitate et prorogatione.

1. *De duratione.* Concilium Tridentinum vetera decreta[2] innovans statuit: "In quacunque religione tam virorum quam mulierum qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem non admittatur. Professio autem antea facta sit nulla nullamque inducat obligationea ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem aut ad alios quosdam effectus."[3] Ex quibus verbis apparet:

a) *Annum* debere esse integrum, completum et quidem *mathematice computandum*,[4] ita ut v.g. si horae

[1] Ita Em. Card. Praef. scripsit in litteris ad Pl. R. Priorem Cluniacensem (Ill.): "Cum omnino necessarium sit ut in scrutinio pro eorum (Nov.) admissione, tria vota habeantur, hinc saltem uno mense ante praedictum scrutinium mittendus erit ad novitiatum tertius sacerdos professus, qui ibi maneat usque . . . ad professionem simpl." Romae, 20. Mart. 1894. Quam notitiam nobis communicavit benigne Pl. R. Prior Cluniac. Ill.

[2] c. 1. C. XVII. q. 2; c. 16. X (III. 31); cf. *Richter et Schulte* Trid., ed. Nap. 1859, p. 417.

[3] sess. XXV. c. 15. De Ref.

[4] cf. *Craisson*, n. 2648.

quadrans deesset, nulla esset professio;[1] in anno bissextili ad integritatem anni computanda sit etiam illa dies.[2]

b) Computandum esse hunc annum vel saltem *ab ingressu in Religionem* vel uti Suarezius optime dicit "formaliter ac praecise loquendo annum probationis incipere ab eo puncto, in quo, et ex intentione religionis et ex consensu novitii, aliquis admittitur ad talem religionem in statu novitiorum et ut in ea probari incipiat."[3]

Utrum *gestatio habitus religiosi* (proprii) necessaria sit disputant auctores. Inter alios Suarez putat, non esse de essentia novitiatus, "ubi vel ex lege vel ex consuetudine vel ex dispensatione fuerit aliud signum sufficiens (sc. receptionis)."[4] Vocat tamen sententiam quae de essentia esse ducit gestationem habitus communiorem.[5] De Angelis juxta Passerini dicit S. C. E. E. et R. R. declarasse in habitu saeculari non posse haberi novitiatum.[6] Quidquid sit—saltem ex decreto Tridentino concludere ad necessitatem essentialem mihi nimis videtur[7] nec antiqua praxis hoc prae se fert.[8]

c) Hoc decretum quoad integrum annum valet

[1] *Bouix*, I. p. 575.
[2] *De Angelis*, in III. Decr. l. XXXI. n. 8. t. II. P. II. 97.
[3] De Relig. l. V. c. 13. n. 6.
[4] l. c. n. 15.
[5] id. n. 3; cf. quoque *Piat.* I. 95.
[6] *De Angelis*, III. t. 31. n. 8. II. II. p. 98; declarationis nomen vel annum etc. non affert.
[7] cf. *Piat.* l. c.
[8] cf. superius (de historia dictis); et S. *Benedicti* Reg. c. 58.

pro regularibus et monialibus, i.e. de omnibus religiosis quae vota solemnia emittunt. Non autem videtur extendi debere ad Congregationes quae vota dumtaxat simplicia emittunt.[1]

d) Dantur tamen *exceptiones* quoad integritatem anni, et sunt sequentes:

α) Concessum est monialibus S. Dominici a Pio V Const. "Summi Sacerdotis" d. d. 23. Aug. 1570 ut Novitiae O. S. D. in casu *morbi*, juxta medici judicium *lethalis*, possint, anno non expleto, professionem emittere, dummodo aetatem requisitam (16) habeant.[2] Ratione porro communicationis privilegiorum etiam aliis concessum est istud privilegium.[3] Si convalescat novitia (vel novitius) et in Religione perseveret, debet denuo emittere professionem, quia finis istius privilegii erat consecutio "indulgentiae et aliarum gratiarum, quae moniales vere professae decedentes consequuntur."[4] Istud privilegium adhuc perdurare dicendum est.[5]

β) Alia exceptio tunc habetur, quando *revalidatur professio* quae fuerit nulliter emissa in Ordine nondum approbato. Potest tunc fieri post paucos dies, e.g. decem peractos in s. exercitiis.[6]

2. *De Continuitate Novitiatus.* Tempus novitiatus sicut integrum esse debet, ita et continuum, i.e. non

[1] *Bouix*, I. 578.

[2] cf. *Craisson*, n. 2649; *De Angelis*, l. III. Decr. t. 31. n. 8; t. II. P. II. p. 97.

[3] *Piat.* I. 97.

[4] *De Angelis*, l. c., *Craisson* (juxta Gautrelet, t. I. p. 88), n. 2649.

[5] *Piat.* l. c.

[6] *Craisson*, n. 2650; *Anal. T. P.* 24. fasc. col. 472 sq.

debet interrumpi, ita ut (saltem moraliter) unum appareat. *Interrumpitur* vero novitiatus:

a) Si novitius *exit* e monasterio, etiam per aliquot tantum horas, cum animo non redeundi, quo in casu novitiatum iterum incipere deberet, si facti poenitens rediret. Dimissio habitus, saltem si egreditur per brevissimum tempus, videtur necessaria.[1]

b) Interrumpitur etiam si novitius *absque licentia* Superioris monasterium *egreditur*, quamvis animum habeat huc redeundi. Attamen hoc in casu requiritur plus temporis. Sed quodnam spatium praecise temporis requiratur, determinari non potest, ob varietatum sententiarum.[2] Melius dicitur hoc esse determinandum juxta considerationem uniuscuiusque domus religiosae, considerationem dico, qua quis putatur non amplius redire, ita ut animus non redeundi praesumi possit.[3]

c) Interrumpitur, si *expellatur* a monasterio et ante egressum suum non revocetur:[4]

d) Interrumpitur si novitius egreditur monasterium cum animo non redeundi, ea intentione ut *monasterium aliud* eiusdem Ordinis *ingrediatur*.[5]

e) *Non interrumpitur* novitiatus:

[1] *Bouix*, I. 577, juxta Thesaur. Resol., ed. Rom. 1741. t. VI. p. 393; cf. *Fagnani*, in l. III. t. 31. n. 8. n. 24; *Craisson*, n. 2651; *Piat.* I. 97.

[2] cf. *Piat.* I. p. 98.

[3] cf. *Suarez*, De Relig. V. c. XV. n. 6.

[4] cf. id. p. 99.

[5] *Ferrari*, De Statu Relig. p. 77; ita quidem iste. At hoc non videtur si quis novitius transfertur de uno ad aliud monasterium eiusdem Ordinis et eiusdem severitatis disciplinæ (e.g. eiusdem provinciæ vel congregationis).

α) Si novitius per longius tempus, etiam per 10 menses *infirmus* decumbebat.[1] In casu amentiae, quae per mensem durat, non interrumpitur, quamvis suspendatur, i.e. debet illud tempus recompensari per alium mensem post annum novitiatus.[2] Item si justa de causa absens est e monasterio.[3]

β) Non interrumpitur si *vi coactus* aut per injuriam discedat vel ob falsam accusationem demissus fuerit et postea rehabilitatus; suspenditur tamen et valet idem quod sub α) dicitur.[4]

γ) Novitiatus non interrumpitur, si novitius expleto integro anno et continuo ante emissam professionem dimittitur vel sponte egreditur, si postmodum redeat et recipiatur. Proin absque novo probationis anno poterit professionem emittere, si tamen non intervenerit notabilis mutatio, vel in novitio quoad mores, vel in Religione quoad observationem regularem.[5]

δ) Idem valet de *saecularisato* vi indulti apostolici, uti S. C. E. E. et R. R. de 30. Jan. 1824 declaravit.[6] Posse tamen exigi congrua documenta anteactae vitae et morum et obligari ad exercitia spiritualia, eadem S. C. putavit.

ε) Si *transitur* de statu clericali ad laicalem—transitus a statu laicali ad *clericalem* prohibetur a Clemente VIII Const. "Cum ad regularem" d. 19. Martii 1603

[1] *Bouix*, p. 577.
[2] *Craisson*, n. 7653; *Ferrari*, l. c. p. 78.
[3] *Ferrari*, l. c.
[4] ibid.
[5] *Bouix*, I. 577. Piat. I. 100.
[6] *Bizz.* p. 48.

edita his verbis "qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire etiam durante tempore probationis, non possunt"[1]—tunc juxta aliquos novitiatus interrumpitur; juxta alios auctores non.[2] S. C. E. E. et R. R. magis stat ex sententia priorum, sc. annum novum incipiendum esse.[3]

3. *De Prorogatione Novitiatus.*

a) Generatim loquendo tempus novitiatus *non est prorogandum*, quia Conc. Trid.[4] hoc spatium temporis stabilivit et S. C. E. E. et R. R. declaravit d. 12. Julii 1793 in causa Olivetanae Congregationis[5] repetendo textum Tridentinii: "Finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerit ad profitendum admittant aut e monasterio eiciant."

b) Diximus generatim loquendo; nam dantur *exceptiones*, una ex quibus est privilegium Societatis Jesu, quam ipsi Tridentini Patres statuerunt.[6]

Dein si causa adsit rationabilis ut ulterius novitius probetur et spes probabilis affulgeat ut postea habilis efficiatur, saltem infra sex menses, potest prorogari noviatus uti S. C. C. declaravit.[7] Imo S. C. E. E. et R. R. ad dubium Augustinianensium Excalceatorum d. 22. Dec. 1730 expressit liceitatem prorogationis, in casu

[1] *Bizz.* p. 872.
[2] *Piat.* I. 101. cf. auctores ibid. citatos.
[3] cf. *Anal. J. P.* XVII. 249. n. 1682; XVII. 619. n. 1803; XVIII. 715. n. 2090.
[4] sess. XXV. c. 16.
[5] *Bizz.* p. 400.
[6] ibid.; sess. XXV. c. 16.
[7] cf. *Craisson*, undenam hauserit istam decl. non adnotat.

"quo ad prudens judicium P. Vicarii Generalis aut P. P. Conventualium Capituli Conventualis adsint graves rationes differendi professionem" responso dato: "affirmative et amplius."[1] Ibi notandum est non praescribi aliquod temporis spatium. Attamen Decli. S. C. C. videtur standum esse, quia videtur probabilius S. C. E. E. et R. R. noluisse aliquid amplius concedi quam S. S. C. C. Apud Barnabitas prorogatio datur ad annum.[2]

N.B. tandem, omnes istas leges, quae respiciunt novitiatus tempus, ita esse stricte intelligendas, ut valida non sit professio illis non observatis. Quod non debet dici de congregationibus cum votis dumtaxat simplicibus, quin tamen inde sequatur ipsis esse licitum absque justa causa novitiatus tempus abbreviare.[3]

§ 3. *De Novitiatus loco.*

1. Quoad Italiam et Insulas adjacentes *Clemens VIII* statuit, ut nemo ad habitum regularem admittatur nisi in conventibus auctoritate Sedis Apostolicae pro unaquaque provincia designandis.[4] At hoc decretum non afficit monasteria extra Italiam et Insulas adjacentes; uti S. C. E. E. et R. R. d. 20. Aprilis 1796 diserte declaravit.[5]

[1] *Bizz.* p. 325.
[2] *Ferrari*, p. 80.
[3] *Bouix*, I. 578.
[4] "Regularis disciplinæ," d. 12. Martii 1596; "Sanctissimus," d. 19. Maii 1602; "Cum ad regularem," d. 19. Martii 1603; cf. *Bizz.* p. 279.
[5] *Analecta* J. P. XVI. 733; cf. *Wernz*, l. III. n. 636.

2. Requiritur tamen ut novitius in conventu seu monasterio illius Ordinis, cui se adscribere intendit, annum probationis peragat; alias non posset dici in probatione stare, prout a Tridentino concilio requiritur.[1] Fit nonnunquam, ut certum monasterium designetur pro aliqua congregatione vel provincia, ut Leo XIII f. r. d. 29. Junii 1899 "Diu quidem" pro Benedictinis Congr. Angliae "jussum ratumque" voluit.[2]

3. Pro *Monialibus* S. C. E. E. et R. R. d. 4. Oct. 1871— et saepe saepius quoad Congregationes monialium[3]— statuit ut erectio novitiatus nonnisi cum S. Sedis indulto fiat.[4]

4. *Qualitates* novitiatus loci describuntur in Const. Clementis VIII "Cum ad regularem," ex qua excerpere libet sequentia:

a) Locus sit separatus ab parte domus professorum, in quo omnia sint commode instructa quoad aulam lectionum vel instructionum, etc.

b) Nemini, exceptis Superiore monasterii, magistro eiusque socio, licet intrare novitiatus locum.

c) Clavis apud magistrum reservetur.[5] Haec valent,

[1] sess. XXV. c. 15. de Ref.

[2] *Revue Benedictine*, 1899. p. 379. n. VII.

[3] cf. *Bizzarri*, Coll. pp. 777, 779, 783, etc.

[4] *Analecta* J. P. VI. 1548.

[5] cf. *Bizzarri*, p. 869. Conditio sub *a*) allegata semper sustinetur a S. C. E. E. et R. R. (resp. Propag. Fide), quando erectio canonica novitiatus conceditur; sic e.g. quoad nostrum monasterium et alia monasteria, uti scimus, huius regionis. Ita S. C. de Prop. Fide addidit litteris concessionis nostri (Concept.) novitiatus: "ea lege, ut locus Novitiatus assignandus,

uti diximus, tanquam praescripta pro Italiae,[1] etc. monasteriis—at certe non absque utilitate etiam alibi observantur.

§ 4. *De disciplina Novitiorum.*

Aliqua quae hic dicentur tangunt instructionem, alia vero obligationem novitiorum.

1. Quoad *instructionem:* Quoad Italiam et Insulas adjacentes, attendendum est decretum Clementis VIII, "Cum ad regularem," et sunt digna quae hic apponantur ex illo decreto:

a) Eligatur magister cum socio per capitulum provinciale, qui suum officium ad tres saltem annos exerceat.

b) Magister debet esse initiatus ordine sacerdotali, aetatis 35 et per 10 annos professus; socius excedat trigesimum annum; "sintque ambo doctrina praestantes."

c) Habeat magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini, Visitatoribus ac Superioribus maioribus vel localibus exceptis, quovis colore se ingerere liceat.

d) Novitii instruantur oportet in vita spirituali et Religionis disciplina, quam amplecti volunt. Novitii

ab ea parte conventus, in quo degunt professi, sit segregatus atque distinctus."—Ex aud. Ssmi. d. 30. Aprilis 1876.

[1] Contrafacientes in Italia, etc., incurrunt poenam privationis officiorum, vocis activae et passivae, necnon inhabilitatis perpetuae. cf. *Tamburini*, l. c. p. 92.

conversi eodem modo, ceteris paribus, instruantur et magistro novitiorum subsint.[1]

2. Quoad *obligationem* novitiorum haec fere dicenda sunt:

a) Obligantur novitii ad *subjectionem Superioribus* Ordinis, quem amplecti volunt. Ista jurisdictio Superioribus Ordinum exemptorum competit ratione concessionis Summi Pontificis; vel Episcopi immediate, si Ordines non sunt exempti.[2] Unde deducitur:

α) Superiores regulares novitiis praecipere posse ea quae Episcopus potest, et quidem sub censuris.[3]

β) Gaudere istos Superiores potestate coercitiva in novitios, ita ut illos punire possint.

γ) Superiores reservare posse quosdam casus quoad novitios.[4] Haec omnia non possunt vi voti obedientiae, sed ratione jurisdictionis ipsis sive a Summo Pontifice sive ab Ordinario, implicite saltem, concessa, uti diximus.

b) Si vero quaeritur, *ad quaenam* obligantur novitii, tunc respondebimus, eos obligari:

α) Ad ea, ad quae Ordinarius eos obligare poterit, et proin quae a Superiore ipsis injunguntur.[5]

[1] cf. *Bizz.* p. 870 sq.

[2] *Schmalzgrueber*, l. III. tit. 31. n. 88; *Bouix*, I. p. 598; *Suarez*, de Rel. l. V. c. XVI. n. 18.

[3] cf. *Bouix*, l. c.; *Ferraris*, "Novitiatus," n. 13, qui negat istam potestatem (sicut et coercitivam) Superioribus, "quia sunt in neutro statu," sc. nec laicali nec religioso.

[4] cf. *Suarez*, de Relig. l. V. c. XVI. n. 18. (tom. XV. ed. Paris, p. 378 sq.).

[5] *Bouix*, I. p. 601.

β) Non vero ad observandam regulam vel vota ratione *obedientiae*, et certe ad exteriorem saltem observantiam regulae ne scandalo sint religiosis.[1] Et quoad *paupertatem* adstringitur novitius ad hoc ut non possit ampliorem usum facere de bonis monasterii, quam a Religione conceditur.[2]

γ) Certe *non teneri* ad *horas canonicas* recitandas.[3]

§ 5. *De Novitiorum juribus et privilegiis.*

1. *Jura* novitiorum respiciunt praesertim eorundem libertatem quoad suitatem et proprietatem.

a) Novitius ergo prorsus *liber* est ut suscipiat onus Religionis vel excutiat.

b) Quoad *bona* eatenus liber est ut ea augeat vel mutet, absque notabili saltem eorum pessumdatione. Potest ergo legata vel donationes sive ab intestato sive per testamentum accipere etiam absque licentia Superioris.[4] Attamen *non potest renuntiare suis bonis* sive acquisitis, sive adhuc aquirendis in favorem cuiuscunque causae piae, etiam monasterii, vel alterius tertii, nisi intra duos menses ante professionem, et quidem cum licentia Episcopi sive eius Vicarii. Aliter facta renuntiatio, etiamsi juramento firmata, nulla est et professio careret effectu.[5] Porro nunc, juxta decl. S. C. E. E. et R. R. d. 1. Aug. 1862, illa renuntiatio non potest fieri

[1] *Suarez*, de Relig. l. V. c. XVI. n. 18.
[2] ibid. n. 5.
[3] ibid. n. 19.
[4] ibid. n. 6; *Bouix*, I. p. 585.
[5] C. *Trid.* sess. XXV. c. 16.

nisi ante solemnem professionem.[1] Excipiuntur tamen novitii Societatis Jesu.[2] Quoad donationes ante ingressum in Religionem, sed intuitu ingressus factas, controvertitur, utrum et illae careant effectu, i.e. utrum cadant sub lege Tridentina.[3]

c) Quoad *beneficium ecclesiasticum*, quod novitius forsitan obtinet, dicendum est illud non esse conferendum alicui alteri infra probationis annum,[4] nisi valide novitius illi renuntiaverit. Verum circa hoc sequentia addi oportet:

α) Forma et solemnitas a Tridentino praescriptae etiam in renuntiatione beneficii observandae sunt et ante professionem solemnem dumtaxat renuntiatio beneficii fieri potest.[5]

β) Interim destinatur clericus idoneus qui onera et functiones beneficio adnexa impleat et congruam recipiat portionem fructuum et proventuum beneficii,[6] quam portionem assignare est Episcopi.[7] Quae post deductam portionem supersunt, pertinent ad novitium.[8]

γ) Novitius, qui obtinuit beneficium cui adnexum est jus eligendi, e.g. canonicatum, non potest excludi

[1] cf. *Bizzarri*, Collect. p. 865.

[2] sess. XXV. c. 16. de Ref.

[3] cf. *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 127 sq, qui dicit non cadere sub lege Trid.

[4] C. 4. 6° (III. 31).

[5] cf. *Fagnani*, l. III. tit. 31. n. 19; *Santi*, l. III. tit. 31. n. 27. p. 303.

[6] cf. *Santi*, ibid.

[7] *Bouix*, I. p. 592.

[8] ibid.

ab electione, quamvis non sit necessario vocandus; proin electio novitio illo non vocato valida erit.[1]

δ) Demum inter jura novitiorum, qui inter clericos enumerabuntur, illud est ponendum, ut statui clericali rite disponantur. Proin omnino a mente S. Ecclesiae alienum est, ut tanquam servi ad manualem laborem supra mensuram adigantur. Nam hodie etiam monachales Ordines, e.g. Benedictini, distinguunt clericos a fratribus laicis; quapropter novitii strictum jus habent, ut ista distinctio et pro ipsis observetur. Hoc jus quandoque violatur.

2. Quoad *privilegia* novitiorum, isti habentur tanquam religiosi et professi in favorabilibus.[2] Unde:

a) gaudent privilegio fori et canonis,[3]

b) indulgentiis Ordini suo concessis;[4]

c) possunt absolvi a confessariis approbatis a Praelato regularium, etiam a censuris, si quas forsitan contraxerint ante ingressum, imo etiam a censuris quas Episcopus sibi specialiter reservaverit. Exceptio est quoad censuras Papae reservatas, a quibus regulares non possunt amplius absolvere juxta Const. "Apostolicae Sedis."[5] Et hoc *valet etiam de novitiis monialium* exemptarum.[6]

[1] *Ferraris*, "Novitiatus," n. 28; *Bouix*, I. p. 596.

[2] cf. *Tamburini*, de Jure Abbat. Vol. III. disp. VI. 9. 27. n. 1.

[3] cf. *D'Annibale*, Com. in "Apost. Sedis," Prati 1894, ed. 4. p. 45; *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol., ed. 2. Vol. IV. p. 387, 392.

[4] *Bouix*, I. p. 599.

[5] *Ballerini-Palmieri*, l. c. V. p. 430 sq.

[6] cf. *Ball.-Palm.* l. c. V. p. 432.

Imo possunt absque licentia Superioris sibi eligere confessarium e saecularibus approbatis et ab eo absolvi etiam a casibus in Religione reservatis.[1]

d) Quoad *ordines S. recipiendos* non possunt accipere litteras dimissorias a suo Superiore regulari, qui eas neque dare permittitur. Verum controvertitur a quonam Episcopo petendae sint litterae dimissoriae. Aliqui (Sanchez, Schmalzgrueber, etc.) putant petendas esse ab Episcopo illius dioeceseos in qua situm est monasterium, dum alii tenent ab Episcopo originis vel domicilii in saeculo, si quod habebat novitius, petendas esse. Utramque sententiam probabilem judicat S. Alphonsus.[2]

e) *Vota* novitiorum—illa intellige vota quae praeter statum religiosum in communi vel alicui Ordini adnexa ratione peculiari huic Ordini, existunt et constituunt materiam votorum, e. g. peregrinatio ad loca sacra, etc.—sive per modum irritationis, prohibendo materiam voti, sive per modum commutationis, sive per modum interpretationis, declarando in eo statu melius esse non exequi vota, possunt irritari a Superioribus Religionis, quam novitius vult amplecte.[3] Item eidem Superiores possunt cum novitiis dispensare super vota quae non sunt reservata[4]—non vero reservata.

f) Tandem novitii possunt edere libros absque Superioris licentia.[5]—Haec quoad novitiatum sufficiant.

[1] *Bouix*, I. p. 599.
[2] cf. *Ball.-Palm.* V. 737.
[3] id. l. c. II. p. 489; cf. *Suarez*, de Votis, l. VI. c. XI. n. 8.
[4] id. l. c. II. p. 513.
[5] *Piat.* I. p. 121.

Articulus III.

De Professione.

Definitur generatim professio "votorum substantialium emissio."[1] Hic praescinditur a nota illa distinctione inter professionem solemnem et simplicem.

Simplex definiri potest: actus sacer et religiosus, quo homo per emissionem votorum substantialium voluntarie se Deo tradit interveniente auctoritate Praelati qui huiusmodi traditionem nomine Dei acceptat,[2] (et in Ordine formali tanquam medium ad professionem solemnem est habendus).

Professio solemnis definitur: "contractus ultro citroque obligatorius quo quis per vota solemnia se Deo et religioni tradit et Religio vicissim huiusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi et tanquam filium juxta regulas et institutum religionis tractandi."[3] Alia distinctio est, in expressam et tacitam. *Expressa* professio fit, quando verbis, scriptura, "aliove sensibili signo consensus exprimitur.[4] *Tacita* fit, quando ex facto quodam proportionato animus et consensus elicitur, puta si novitius post annum probationis aut actibus, qui solis professis

[1] cf. *Aichner*, Compendium Juris Eccl., ed. 8. 1895, p. 475.
[2] cf. *Schmalzgr.* III. 31. n. 149.
[3] ibid.
[4] *Schram*, Institutiones Juris Eccl. Aug. Vindelic. 1782, t. I. § 297. p. 455; *Schmier*, l. I. tract. I. c. III. § III. ed. 2. Salisburg. 1729, t. II. p. 336.

sunt proprii, se immisceat ac votum, v.g. in Capitulo, ferat aut habitum professis similem deportet.[1]

Quoad tacitam professionem aliquid addendum est, eo quod Declaratio S. C. E. E. et R. R. die 12. Junii 1858 sequens statuit: "Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est."[2] Et hoc valet, juxta novissimum S. C. E. E. et R. R. decretum d. 3. Maii 1902,[3] etiam de *monialibus* cum votis solemnibus, cum dicta S. Congregatio "Neminem latet" et alterum decretum "Ad universalis Ecclesiae" et ad has extenderit. Unde fere omnia valent de monialibus quoque, quae de viris religiosis hic dicentur. At "Neminem latet" non respicit Congregationes cum votis dumtaxat simplicibus.[4]

Quaeritur vero quoad professionem: de requisitis ad validitatem professionis et de effectibus professionis.

§ 1. *Requisita ad validitatem professionis.*

Possunt reduci ad tria capita; sc.

1. ad ea ex parte profitentis;
2. " " " professionis;
3. " " " religionis.

Quoad 1m quaeritur de admissibilitate, de aetate, de conditionibus moralibus.

[1] cf. *Schram*, l. c.; *Schmier*, l. c.

[2] cf. *Bizz.* 875.

[3] Decretum totum, cum serius ad nos pervenerit, habebitur in appendice.

[4] cf. *Piat.* I. p. 142.

1° *Admissibilitas* jam tractata est, ubi de novitiatu suscipiendo locuti sumus. Quae dicta sunt ibi de admittendis etiam hic valent. Hic oportet solummodo notari, quod absque novitiatus anno integro et continuo non fit professio valida.

2° *Aetas* est praescripta a C. Tridentino [1] quoad professionem saltem simplicem. Est enim annus 16 expletus tum pro viris tum pro mulieribus. Conversos explesse necesse est annum 20 (21).[2] Quoad professionem porro solemnem videtur requiri annus 19 expletus pro clericis, annus 23 (24) expletus pro conversis.

Observa etiam quod tempus *trium annorum post simplicem professionem potest prorogari,* "non tamen aetatem annorum 25 expletorum," uti constat ex decreto Pii IX "Neminem latet" die 19. Martii 1857 edito.[3] Facultas prorogandi, uti constat ex eodem decreto, competit Superiori Generali ac etiam Superiori Provinciali "ex justis et rationabilibus causis"; . . . "si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habentur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus,

[1] sess. XXV. c. 15. de Regg.

[2] *Bizz.* Collect. p. 855. Dependet nempe ab interpretatione decreti Pii IX, ubi quoad conversos dicitur "postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in const. Clem. VIII praefinita est." Porro in dicta Const. nihil expressi habetur, utrum annus debuerit esse expletus an inceptus. Putamus ergo juxta leges interpretationis stare posse anno 20 incepto in favorem Religionis.

[3] *Bizz.* p. 853 sq.

de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sunt." "In casu, quo sacerdos saecularis habitum petivit, et obtinuit, qui annum 25 longe transgressus est, huic (emissa professione votorum simpl.) professio solemnis (nempe votorum solemnium) differri 'nequit' supra consuetum triennium," etiamsi "intra triennium (vot. simpl.) non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit." S. C. E. E. et R. R. d. 16. Aug. 1866 ad dub. prop. a Rmo. Abb. Bonif. Wimmer, O.S.B.[1]

3° *Conditiones morales* sunt intentio et libertas consensus.

a) *Intentio* profitendi vota tum simplicia tum solemnia, quae intentio excludit fraudem vel dolum,[2] quia agitur de actu libero humano.

b) *Libertas* excludit vim et metum. Vis esset, e.g. incarceratio, alimentorum substractio. Metus esset, si parentes vel consanguinei blanditiis, minis, saepius repetita importunitate uterentur. Observa quod metus:

1° debet esse ab extrinseco injuste incussus.

2° " " metus gravis.

3° " " ratio determinans assensum ad professionem religiosam.[3]

Porro has conditiones verificari oportet etiam in professione solemni, quia solemnis professio ad hunc finem praesertim instituta est, ut ex altera parte puritati et dignitati Religionis cuiuscunque et ex altera parte

[1] *Bizz.* p. 866.

[2] cf. *Craisson*, n. 2693.

[3] cf. *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol. mor. IV. p. 31.

conscientiae profitentium consulatur. Jamvero si conditiones dictae abessent, scopus professionis non posset acquiri, uti penitus consideranti eas statim apparet.

c) *Consensus* tandem requiritur plenus et perfectus voventis.[1] Videtur quod consensus iste non debet fieri personaliter vel oraliter. Potest fieri scripto, ut e.g. quis professionis formulam mittat ad Superiorem isteque illam acceptet. Potest etiam professio fieri per procuratorem, mandato speciali, non revocato, instructum.[2]

2. *Ex parte professionis* requiritur:

a) Ut fiat *absolute*, non vero conditionate, si agatur saltem de conditione substantiae Religionis contraria, et hoc requiritur ad validitatem.[3] Fingi potest casus, quo quis ante professionem pactum retinendi *peculium* inierit cum Superiore; valetne hoc in casu professio?

Respondent auctores affirmative.[4]

Alius casus: Reservavit sibi quis *facultatem testandi* de suo patrimonio; estne valida professio ita facta?

Respondit S. C. C. die 14. Dec. 1613 : affirmative.[5]

Caeteroquin generatim dicendum, quod si conditio, uti dicunt, turpis (i.e. substantiae Religionis contraria) apponatur, tanquam non adjecta habeatur. Quodsi non

[1] *Piat.* I. 139.

[2] *Schmier*, l. III. tract. I. sectio III. § III. n. 186, ed. c. t. II. p. 337; *Ferraris*, "Professio," n. 51; *Suarez*, de Relig. VI. c. XII. n. 22 sq.

[3] *Schmalzgr.* III. t. 37. n. 166; *Tamburini*, t. III. d. VI. q. 16. n. 12, ed. c. t. III. p. 118.

[4] *Tamburini*, ibid.

[5] *Tamburini*, l. c. n. 15.

sit turpis, sed honesta, distinguendum est inter conditionem de praesenti et eam de futuro. Porro professio cum *conditione de praesenti* statim valida vel invalida est, prout conditio verificatur necne. Si agitur de conditione *in futuro* valida erit professio, quando conditio verificatur.[1]

b) Ut fiat *quodam ritu* qui aptus sit ad consensum manifestandum. Non est quidem aliquis ritus praescriptus in genere, sed unaquaque Religio suum peculiarem habet, qui sequendus est; non quidem hoc requiritur ad validitatem.[2] Hoc praesertim apparet in professione solemni, ubi contractus inter profitentem et Religionem magis elucet.

Non requiritur 1° ut *in schedula* exhibeatur formula professionis, ut constat ex c. porrectum t. 31.[3]

2° Non requiritur ut *tria vota explicite* enumerentur, sufficit ut implicite, e.g., promitto obedientiam secundum Regulam S. P. Benedicti.[4]

3° Non requiritur ut fiat professio *ad certum monasterium,* sed solummodo ad certum distinctum Ordinem vel Regulam; non vero ad statum Religiosum in genere.[5] Attamen in illis Ordinibus, in quibus vovetur stabilitas,

[1] *Piat.* I. 14. 5.

[2] *Schmalzgr.* III. t. 31. n. 179; *Tamburini,* t. III. d. VI. q. XXII. n. 1. sq.

[3] *Tamburini,* l. c.; excipe religiosos S. J.; cf. *Suarez,* de Rel. VI. c. 12. 3.

[4] *Schmier,* l. III. tract. I. sect. III. § III. n. 172. l. c. p. 336; cf. *Bened.* XIV, De Synodo XI. c. q. n. 28.

[5] *Schmalzgr.* III. t. 31. n. 166. 7.

professio ad certum monasterium (vel saltem congregationem vel provinciam) debet dirigi.[1]

4° Non requiritur ex jure communi, ut fiat professio *coram testibus;* "deficit enim lex id statuens" ait Schmier.[2] Dicit tamen Tamburini: "Quod cum nihil certi de hoc in jure reperiatur, si huius actus natura attendatur, procul dubio requiritur ad hoc, ut convenienter fiat, eam esse admittendam coram testibus."[3]

Quoad *moniales* observa, quod Episcopus in recipienda professione simplici non potest uti ritu pontificali, i.e. eo "quem adhibeant Episcopi in recipiendis professionibus votorum solemnium," prout S. C. E. E. et R. R. die 21. Aprilis 1841 declaravit.[4]

c) Requiritur quoad *Italiarum et insularum adjacentium conventus*, ut fiat professio in conventu designato a Sede Apost.[5] Quoad aliarum terrarum monasteria non praescribitur certus locus vel conventus, vel locus sacer; maxime vero decens est, ut fiat vel in oratorio vel in aula capitulari.[6]

d) *Nec requiritur tempus praefixum;* potest fieri vel extra vel intra Missam solemnem vel privatam, vel alio tempore opportuno.[7]

[1] *Schmier*, l. c. n. 174; ex decisione Rotae Rom. 6. P. dec. IV. n. n; 3. 4. 6. etc.

[2] l. c. n. 185.

[3] t. III. l. VI. q. XXIII. n. 4. ed. c. t. III. p. 124; *Suarez*, De Rel. VI. c. 12. n. 5. t. XV. p. 447.

[4] cf. *Bizz.* p. 264 sq.

[5] cf. Decretum *Clementis VIII*, "Regularis disciplinæ," supra citato, ubi de Novitiatus loco.

[6] *Schmier*, l. c. n. 182. t. II. p. 337.

[7] cf. *Piat.* I. 146.

3° *Ex parte Religionis* requiritur: *a*) *acceptatio*, *b*) eaque per legitimum Superiorem sub poena nullitatis.

Quoad *a*): Est de necessitate professionis ut ex parte Religionis aliquis ad eam concurrat, qui traditionem ab eo, qui profitetur, faciendam, acceptet; acceptatur autem a Religione per aliquem, qui possit incorporare professum Religioni.[1] Oportet omnino, quod signo aliquo sensibili innotescat ista acceptatio a parte Superioris Religionis. Quodnam signum requiratur, non est determinandum. Certum est posse fieri verbis, nutu, vel alio signo actum acceptationis denotanti.

Videtur, quod sicut professio a parte voventis potest fieri per procuratorem ita etiam acceptatio, quamvis certe non est laudandum, quia semper dicitur professionem debere fieri in manu Superioris, quae expressio corporalem praesentiam indicat.

b) Quaeritur jam quisnam intelligatur *legitimus Superior*.

1° Certum est *non* pertinere *ad Episcopum* novitios ad professionem admittere, sive monasteria sunt exempta sive non exempta, nisi forsitan privilegium, vel consuetudo vel consensus Capituli conventus hanc facultatem dederit Episcopis.[2]

2° Certum est, quod attendendum est apprime ad varias consuetudines et Constitutiones uniuscuiusque religiosae familiae.

3° Quid si nec consuetudo legitima nec constitutio nec Regula aliquid hac de re statuerit? Datur praeser-

[1] *Suarez*, de Rel. VI. c. XI. n. 1. t. XV. 449.
[2] *Bouix*, I. p. 611–615.

tim *triplex sententia:* prima tenet pertinere ad Abbatem vel Praelatum unice jus admittendi novitios ad professionem, quin requiratur consensus capituli.[1]

Secunda sententia est: "De jure communi per quam certum existimo, admissionem ad *Praelatum* sic spectare, ut *consensum maioris partis de capitulo* regulari seu conventu requirere teneatur." Ratio horum est, quia ex natura professionis sequatur; est enim pactum non solum cum Praelato sed cum toto conventu, ut iste professum tanquam confratrem agnoscat et cum illo vivat.

Tertia sententia est: Tenetur Praelatus audire consilium fratrum, at non obligatur sequi illorum vota. Ita Abbas, Sylvester, Van-Espen.[2]

Vera est ista ultima sententia quoad professionem solemnem. Nam ita statuit S. C. super statu Regularium die 7. Febr. 1862: "pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori Generali vel ab eius Subdelegato standum erit resolutioni eiusdem Capituli."[3]

At quid de professione simplici?

Standum est illis, quae supra diximus, sc. consuetudini, etc. Quod si ista non suppeditat quidquam, mihi videtur tenendam esse *secundam sententiam.* In religiosis familiis, ubi potestas admittendi ad profes-

[1] Ita *Tamburini*, III. disp. VI. q. XV. n. 5 sq., ed. c. III. 817.
[2] cf. *Schmier*, l. c. n. 195.
[3] *Bizz.* 861 sq.

sionem novitios spectat exclusive ad Praelatum, non potest Conventus absente vel defuncto Abbate aliquem novitium ad professionem admittere. Aliter ubi simul spectat ad Praelatum et Conventum.[1]

Quoad *moniales:* Pertinet ad Superiorissam et conventum, cuius maior pars suffragiorum requiritur, non solum consilium.[2]

Quidquid sit de distinctione inter moniales non exemptas et exemptas et de illa inter Episcopo et Regularibus subjectas, ad validitatem licentia Episcopi vel Regularium nihil refert, nisi obstent peculiares Constitutiones alicuius Religionis.[3] Notandum est *examen*, quod *Episcopus ante professionem*, de qua certior debet fieri a Superiorissa (monasterii exempti ante 15 dies, non exempti ante mensem[4]) *instituere debet* juxta Conc. Trid.[5] de quo jam diximus ubi de admissione ad novitiatum.

Superior ad quem spectat admissio ad professionem potest illam delegare juxta regulam Juris 68. in 6°: "Potest quis per alium facere, quod potest facere per se ipsum."[6]

Quaeri potest *in cuius manibus* emittenda sit professio?

[1] *Ferraris*, "Professio," n. 45.

[2] cf. *Tamburini*, de Jure Abbatissarum, disp. VI. q. V. n. 1 sqq., ed. Col. Agrip. 1691, t. III. p. 24.

[3] cf. *Ferraris*, "Moniales," a 1. n. 103; *Fagnani*, III. t. XXXI. in c. Porrectum.

[4] *Ferraris*, l. c. n. 110 sq.

[5] sess. XXV. c. 17.

[6] *Ferraris*, "Professio," n. 47; cf. c. 16. X (III. 31).

1° Quoad *regulares* attendendae sunt consuetudines vel Constitutiones peculiares. Capuccini e.g. emittunt professionem simplicem in manu Magistri novitiorum praesente Superiore locali; solemnem in manibus Superioris sive Provinciae sive conventus.[1] Generatim apud Benedictinos fit in manibus Abbatis tum professio simplex tum solemnis.

2° Quoad *moniales:* locus est distinctioni inter moniales Episcopo et illas Regularibus subjectas. Priores debent emittere professionem in manu Episcopi vel eius delegati; posteriores in manu Praelati Regularis sive eius delegati; non quidem sub poena nullitatis professionis, uti communiter docent auctores.[2]

§ 2. *De Effectibus Professionis.*

Probe distinguendum est inter professionem simplicem et solemnem. Sub duplici capite procedamus.

1. Effectus professionis *simplicis* sunt:

a) *Remissio omnium poenarum* debitarum remissis peccatis quoad culpam, supposito quod profitens sit in statu gratiae.[3] Adnexerunt nempe Summi Pontifices emissioni votorum indulgentiam plenariam.

b) Gaudent professi simpliciter omnibus *gratiis et*

[1] *Piat.* I. 141.

[2] cf. *Schmalzgr.* III. tit. XXXI. 186; *Tamburini,* de Jure Abbatissarum, disp. VI. q. V. n. 1 sq. t. III. 24.

[3] *Bouix,* I. p. 616. Optime observant *Ballerini-Palmieri,* Opus Theol. moral. IV. p. 32, S. Thomam 2–2, q. 189. a. 3. ad 3^{m} non loqui simpliciter de remissione omnium peccatorum quoad culpam.

privilegiis adnexis Ordini, quem amplectuntur.[1] Proinde gaudent voce activa et passiva et ad officia admitti possunt, habentque suffragium in actis Capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.[2] Excluduntur tamen a suffragio ferendo in receptione ad solemnem professionem.[3] Imo excluduntur a ferendo suffragio in admissione ad professionem simplicem, juxta decl. S. C. super statu Reg. d. 1. Sept. 1895;[4] item nec licite nec valide possunt eligi tanquam Superiores.[5]

c) Aufert professio simplex *irregularitatem ex defectu natalium,* sed dumtaxat ad tonsuram et ordines minores "quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit."[6] Ad ordines sacros possunt namque juxta decr. Leonis XIII d. 4. Nov. 1892 editum non amplius promoveri nisi post prof. solemnem.

d) Etiam professio simplex videtur *liberare a patria potestate,* quia et in hac valet ratio adducta ab auctoribus: Professus a die Professionis transit omnino in potestatem Superiorum Regularium et consequenter a patria

[1] Decl. S. C. super statu Reg. die 12. Junii 1858; *Bizz.* p. 856. n. VI.

[2] ibid. n. VIII.

[3] Decl. S. C. super statu Regul. die 7. Febr. 1862; *Bizz.* p. 861.

[4] *Piat.* I. 135. Stricte hoc decr. valet de Ord. Capucc. dumtaxat; tamen vide infra.

[5] id. p. 134.

[6] Decl. S. C. super statu Regul. d. 20. Jan. 1860; *Bizz.* p. 859. ad 2^{m}.

potestate eximitur.[1] Liberat autem quoad ea quae professo damnosa et Religioni essent minus congrua; nam quoad ea, quae utrique utilia sunt, patria potestas manet, ne "quod ob gratiam ipsi conceditur in eius dispendium detorqueatur." (Reg. Juris 61. in 6°.)[2] Unde professus retinet jura suitatis et successionis.[3]

e) *Non vero aufert dominium radicale,* quamvis ad tempus usus dependeat a licentia Superioris.

2. Effectus professionis *solemnis* sunt sequentes:

a) Confer supra n. 1.

b) Gaudent omnibus *privilegiis et gratiis,* i.e. sunt perfecti capitulares qui gaudent voce activa et passiva. Nec ad hoc requiritur, ut sit initiatus ordine aliquo sacro, uti Conc. Trid. statuit pro capitulis cathedralibus[4] (et collegiatis). Nam nullibi legitur talis canon, nec ratio a pari procedit ex capitulis cathedralibus.[5] Potest utique unusquisque Ordo hoc statuere; at ex jure communi ordo sacer ad ferendum suffragium in electione non requiritur, nec ad hoc, ut quis possit eligi (servatis servandis aliter de Jure constitutis, e.g. quoad aetatem);

c) *Aufert irregularitatem ex defectu natalium,* saltem ad ordines sacros, sed non quoad praelaturas et digni-

[1] *Ferraris,* "Professio," n. 106. Ita sentire videtur *Schmalzgr.* III. tit. XXXI. n. 210, aiens prof. simplic. S. J. liberare a patria potestate.

[2] *Schmalzgr.* III. 31. n. 207.

[3] *Ferraris,* "Professio," n. 106.

[4] sess. XXII. c. 2.

[5] *Pirhing,* Jus Can. Vol. I. p. 251.

tates ecclesiasticas.[1] Non est autem hoc privilegium ad alias irregularitates extendendum.[2]

d) Liberat *a patria potestate;* cf. n. 1. d.

e) *Exstinguit omnia vota prius emissa,* etiam ingrediendi Religionem strictioris observantiae.[3] Excipe nisi priora vota sint in favorem tertii, cui jus sit acquisitum.[4]

f) *Dirimit sponsalia et matrimonium ratum.* Quid de altera conjuge in saeculo manente? Debetne exspectare usque triennium votorum simplicium est elapsum? Respondit S. C. super Statu Regularium d. 24. Jan. 1861 "non nisi per sol. votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi; non vero per professionem votorum simplicium; ideoque in casu quo vir juxta legem d. 19. Martii 1857 per S. C. super Statu Regularium latam, vota simplicia emittere debeat ante sol. professionem, sive ipse sive eius conjux recurrere poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia."[5]

g) Inducit *perfectam bonorum abdicationem* (tollitur dominium radicale, quod usque ad prof. sol. retinuit), ita ut professus etiamsi a Sede Apost. saecularisationem obtineat, nullum tamen jus in bona recuperet.[6]

[1] *Ferraris,* "Professio," n. 101.

[2] *Santi,* III. Decr. t. XXXI. n. 32, ed. Pustet 1898, III. 306.

[3] ibid.; cf. c. 5. 6 (III. 14.).

[4] *Sanchez,* Moral. l. V. c. 5. n. 45; *Wernz,* l. c. III. n. 646; *Ballerini-Palmieri,* Opus IV. p. 33.

[5] *Bizz.* 859.

[6] *Ballerini-Palmieri,* Opus IV. p. 34.

Potest infra duos menses professioni solemni proximos[1] de bonis suis disponere; testamentum v.g. conficere, donationes facere etc. juxta formam a Tridentino praescriptam.[2] Nisi hoc faciat, monasterium, si sit capax possidendi in communi, haeres fit omnium bonorum; si non est capax (e.g. Capuccini), consanguinei fiunt heredes bonorum.

Requiritur a Tridentino, ut renuntiatio α) fiat cum licentia Episcopi, β) bimestri ante professionem (juxta jus hodiernum) solemnem, γ) effectum sortiatur secuta professione:

α) *Licentia Episcopi* vel Vicarii Generalis tacita sufficit, nec requiritur ut scriptis tradatur.[3] Eandem licentiam dare potest Episcopus confirmatus, etsi non consecratus, vel Archiepiscopus, si nondum pallium receperit, etiam Capitulum vel Vicarius Capitularis sede vacante.[4] Ita tamen requiritur ista licentia ad renunciationem, ut valorem actus afficiat, proin debet praecedere licentia obtenta (non solum petita).[5]

β) *Bimestre computandum* est a momento ad momentum et secundum quod mensis occurrit in Calendario, non tantum moraliter.[6]

γ) Corruunt renuntiationes si ante professionem moriatur.[7] Consequenter potest simpliciter professus

[1] S. C. E. E. et R. R. d. 1. Aug. 1862; *Bizz.* 865.
[2] sess. XXV. de Ref. c. 16; cf. supra (De Novitiatu).
[3] *Schmalzgr.* III. 31. n. 104.
[4] *Bouix,* I. 506.
[5] *Schmalzgr.* l. c.
[6] id. l. c. n. 112.
[7] id. l. c. n. 116.

testari de bonis causa mortis, non obstante ista renuntiatione,[1] quod testamentum potest revocare ante professionem, non vero post professionem, si velit in Religione perseverare.[2] Quid de renuntiatione, si *invalida professio ratificatur?* Distinguunt auctores inter causas invalidae professionis. Si invalida sit ex defectu aetatis, ratificata professione non censetur eo ipso etiam ratificata renuntiatio. At si professio irrita sit ex alio capite, v.g. quia emissa est anno probationis (idem videtur dicendum triennio post prof. simpl.) nondum exacto vel extorta fuerit metu, ratificata professione, ratificata etiam censetur renuntiatio.[3]

Consideratis istis effectibus religiosae Professionis jam apparet quam intimus sit nexus professum inter et Religionem. Efficitur professus solemniter membrum Religionis; ligat professio (sol.) professum Religioni et hanc professo ita ut nec soli professi voluntate nec sola Religionis neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit.[4] Hinc jus habet professus ut alatur et sustentetur a Religione, et ista ut facultates suas omnes ipsi devoveat professus. Ex his ultra citraque sequitur certa obligatio qua professus ligatur. Antequam vero obligationes istae tractantur, necessario consideranda sunt quaedam circa invalide emissam professionem.

[1] *Schmalzgr.* l. c. n. 117.
[2] *Bouix,* I. 589.
[3] *Schmalzgr.* l. c. n. 114.
[4] id. l. c. n. 106.

§ 3. *De invalida Professione.*

Loquendo de invalida Professione, potest quaeri 1° ex quonam capite sit invalida, 2° quomodo ratificetur, 3° quomodo reclamatio fiat contra invalide emissam professionem.

1. Concilium Tridentinum[1] *ad tria praesertim capita* reduxit rationem *invaliditatis*, sc. ad metum, vim et aetatem non debitam, et addit "aut quid simile." *Metus et vis* quales debeant esse, jam superius indicavimus. *Aetatem* respicit Tridentinum illam quae completur decimo sexto anno.[2] Porro illud "quid simile" indicat posse fieri etiam ex alio capite. Talis esset e.g. defectus consensus a parte conjugis derelicti in saeculo post matrimonium consummatum, tale esset quaecunque ratio, quae prohibet ingressum fingendo casum, quod conventus hac de re deciperetur. Talis est praesertim defectus consensus ex parte Religionis vel consensus ex parte potestatem non habentis ad professionem admittendi petentes.

2° *Quomodo* ergo invalide emissa professio *ratificatur?* Hic distinguendum imprimis utrum invaliditas proveniat ex parte profitentis, an ex parte Religionis an ex utraque.

a) Si invaliditas provenit ex *defectu profitentis* tunc requiruntur:

α) Ut ratificans *sciat* professionem a se factam fuisse invalidam, quia nemo potest ratificare quod nesciat esse ratificandum.

[1] sess. XXV. de Ref. c. 19.
[2] ibid. c. 15.

β) Ut impedimento sublato, *novus consensus* ponatur a professente.[1] Haec ab omnibus admittuntur;

γ) Ab aliquibus requiritur *nova acceptatio* a parte Religionis, quia, uti aiunt, est nova traditio vel professio, proin non sufficit consensus a parte professentis.[2] Hoc tamen reicitur ab aliis, praesertim quia Rom. Congregationes talem ut validam habuerunt;[3] hancque sententiam vocat Reiffenstuel in conscientia tutam;

δ) tandem qui novam acceptionem requirunt a parte Religionis, ponunt quoque tanquam necessarium elementum, ut Religio habeat aliqualem notitiam de nullitate professionis; porro notitiam dicunt sufficere generalem.[4]

ε) Non erit abs re ut dicatur quidquam de *tacita ratificatione*. Nam quamvis tacita professio (solemnis saltem) dicenda sit abrogata,[5] non tamen sequitur etiam tacitam ratificationem esse abrogatam: 1° quia extat hac de re lex nulla, et 2° quia ratificatio supponit professionem esse factam juxta formam ab Ecclesia praescriptam. Unde sicut Ecclesia statuit invalida esse clandestina matrimonia, non tamen prohibuit clandestinam ratificationem, ita etiam supposito esse factam professionem expressam, ratificationem professionis tacitam non vetuit.[6]

[1] *Schmalzgr.* III. 31. n. 191.

[2] Ita *Schmalzgr.* l. c. n. 192, citat *Azor, Pirhing, Wiestner.*

[3] *Bouix,* I. p. 620 sqq. Ita etiam *Reiffenstuel,* III. 31. n. 217 sq.; *Suarez,* de Rel. VII. l. 1. n. 16 (XV. 516), qui citat pro sua sent. *Sanchez,* de Mat. VII. d. 37. n. 60 sq.; *Sa,* "Religio," n. 25; *Lessium,* De Justitia, II. c. 41. dub. 7. n. 67.

[4] *Schmalzgr.* l. c. n. 192.

[5] cf. *Bizz.* Coll. p. 857. n. XI.

[6] cf. *Ballerini-Palmieri,* l. c. IV. p. 37.

ζ) *Modus* vero ratificationis *legitimus* est ille e.g. quo antecedenter ad votorum renovationem declaretur istam renovationem habere vim primae nuncupationis.[1] *Non* enumeratur inter *legitimos* ratificationis modos renovatio votorum quae fit quotannis, e.g. post peracta exercitia spiritualia,[2] nec ille, quo Episcopus ordinans regulares istos admonet, ut professionem ratificent.[3]

η) Duplex casus nunc potest concipi, qui potest occurrere, scilicet:

Primus est quo *quis ignorat nullitatem professionis* emissae, perseverans in Religione actus professis proprios exercet; estne talis censendus ratificasse professionem?

Bouix, sequens Fagnani[4] stat *pro ratificatione*.[5] At aliquae decisiones SS. Congregationum videntur parere difficultatem.[6] Attamen speculative loquendo, sententia Bouixiana videtur stare posse. Nam consensus perdurat nec retractatus supponitur. Porro actus illi professis proprii indicant consensum eiusque durationem, et ex altera parte, Religio non supponitur reclamasse. Insuper qui onera portat, etiam privilegia consequi censendus est.

Secundus ille est, quo quis sciat invaliditatem pro-

[1] cf. *Ballerini-Palmieri*, l. c. IV. p. 37.
[2] cf. *Bizz.* l. c. p. 476 sq.
[3] *Ferraris*, "Professio," n. 108.
[4] l. III. de Regularibus n. 19–31.
[5] *Bouix*, I. p. 624.
[6] cf. *Richter-Schulte*, Tridentinum, ed. Neapolit. 1859, p. 125. n. 12.

fessionis, *probare tamen nequit;* potestne talis ad saeculum redire, an vero tenetur manere in Religione? Iste casus valde *controvertitur*. Reiffenstuel qui citat pro sua sententia Sanchez, Layman, Navarrum, Pirhing, Donatum etc., tenet, talem religiosum posse occulte ad saeculum redire, si absque scandalo fieri possit; item Superiorem posse talem religiosum occulte dimittere.[1] Aliam sententiam, jam propositam a Fagnani, tenet Bouix,[2] quem Ballerini-Palmieri secutus est.[3] Patroni istius sententiae dicunt talem religiosum obligari ad manendum in monasterio. Rationes quas addunt, videntur conclusivae ita, ut quis eam amplecti secure possit.

b) Si defectus provenit *ex parte Religionis*, requiritur: *α*) ut consensus religiosi perseveret nec sit retractatus; non requiritur novus consensus; *β*) ut ratihabeatur a Religione, ad quod requiritur et sufficit, ut professio acceptata sit nomine habentis potestatem admittendi, quia ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum.[4] E.g. habet locum ratihabitio quando Praelatus vel Provincialis voluit quemquam ad professionem admittere quin exquisierit consensum vel consilium quorum intererat.

c) Si defectus provenit *ex utraque parte*, tunc requiritur:

α) Novus consensus profitentis; et

[1] l. III. tit. 31. n. 205 sqq.
[2] *Jus Reg.* I. p. 624 sq.
[3] *Opus Theol. Mor.* Vol. IV. p. 38–42.
[4] *Schmalzgr.* III. 31. n. 189.

β) nova acceptatio a parte Religionis, quia supponitur utramque partem scire de alterutrius defectu.

3. *Quomodo reclamatio fieri possit* contra invalide emissam professionem?

a) Concilium *Tridentinum* statuit:[1]

α) quod reclamatio fieri possit ex ratione defectus aetatis, libertatis (vi et metu inductae) vel simili ratione;

β) reclamatio debeat fieri coram Superioribus, i.e. coram Superiore Regulari et Ordinario;[2]

γ) infra quinquennium a die professionis facienda sit, quo elapso non amplius audiatur reclamans;

δ) oporteat religiosus in monasterio stet et habitum gestet, alias tanquam apostata puniatur. Has regulas quas Trident. quoad reclamationem contra professionem edidit, Benedictus XIV per Const. "Si datam" d. d. 4. Martii 1748 magis determinavit et aliquatenus modificavit modo sequenti:

1° Si fiat *reclamatio intra quinquennium:*

a) Potest fieri tum a viris tum a feminis "alicuius Ordinis a Sede Apost. approbati" reclamatio; tamen

b) casus, (etiam in impedimento occulto quod religiosus patefacere noluit) debet cognosci tum ab Ordinario loci[3] tum a Superiore regulari;

c) quinquennium, etiam in casu metus, est computandum a die professionis, non vero a die, quo professus

[1] sess. XXV. c. 19. de Ref.

[2] d. 15. Dec. 1653, in causa Neapol.; die 24. Sept. 1740; in causa Siculae; cf. *Richter-Schulte*, ed. Neapol. 1859, p. 423.

[3] Ordinarius intelligitur ille, ubi situm est monasterium. *Ferraris*, "Professio," n. 72; *Schmalzgr.* III. 31. n. 197.

liberam reclamandi facultatem habuit; casu tamen quo cognitio infra quinquennium "serio fuerit intentata," judicium etiam post quinquennium poterit prosequi.

d) Superior Regularis est ille monasterii seu conventus, sive Abbas, sive Guardianus, sive Prior. Monialium vero, si sint subiectae Ordinario, Superior intelligendus est ipse Ordinarius; si regularibus sint subjectae, Praelatus regularium intelligitur earundem Superior, non vero confessarius.

e) Non potest Superior cedere jus suum Ordinario, ut iste solus procedat; potest tamen aliquem sive regularem sive saecularem juris can. peritum subrogare.

f) Si fuerint Ordinarii et Superioris regularis judicia discrepantia, causa ad Sedem Apost. devolvitur. (Quoad monasteria Italiae et Insularum adjacentium, in quibus aliquis impugnat validitatem professionis ex hoc capite, quod non sit facta in conventu a Sede Apost. designato, causa pertinet privative ad S. Congregationem Concilii.)

g) *Modus procedendi* in istis causis est sequens:

α) Introductionis instar requiritur ut reclamans moretur in monasterio deferatque habitum.

β) Necessarius est processus verus et judicialis, alias sententia irrita censetur; citari et audiri praesertim debent defensores monasterii, et cognati professi. Ad hunc effectum Ordinarii in sua quaque dioecesi instituant defensorem professionum, ad instar defensoris vinculi matrimonialis.

γ) Datur appellatio ad secundam instantiam, imo defensor professionis debet appellare, si pro nullitate steterint judices et interim suspenditur executio sententiae prolatae; professus non potest e monasterio exire et ad alia vota transire post primam tantum sententiam in favorem nullitatis prolatam.

δ) Judices secundae instantiae sunt: loco Ordinarii, ii "ad quos de jure aliae omnes causae ecclesiasticae post sententiam Ordinarii in gradu appellationis respective devolvuntur;" loco Superioris Regularis alius Superior Regularis eius Ordinis, monasterii alterius (non illius, ubi reclamans professus est) in eodem loco vel viciniori existentis, vel alia persona ecclesiastica quam Superior ad quem pertinet delegavit. Si vero causa refertur ad Apost. Sedem, "nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari."

2° Si fiat reclamatio *post quinquennium* elapsum,

a) datur "restitutio in integrum," quae a Sede Apost. dumtaxat conceditur exclusive.

b) *Modus procedendi* est sequens:

α) Imprimis conficiatur ab Ordinario loci simul cum Superiore Regulari processus de statu quæstionis eumque transmittant ad Sedem Apost. quo facto proponitur dubium de "restitutitione in integrum."

β) Si "restitutio in integrum" conceditur, de valore professionis judicent secundum superius dicta; praesertim adsit defensor professionis, qui etiam in propositione dubii super "restitutione in integrum" deputetur, nec non in SS. C. C. consultationibus.

γ) Appellatio itidem datur et omnia observentur ut supra sub poena nullitatis.[1] *Causae* pro exposcenda "*restitutione in integrum*" ad duas praecipue reducuntur: 1° ad ignorantiam impedimenti et nullitatis professionis, 2° ad impotentiam instituendae querelae contra professionem in decursu quinquennii.[2]

Ceteroquin "hodie ut temporis brevitati et sumptuum moderationi consulatur, annuente Summo Pontifice solet apud S. Sedem utraque quæstio (sc. de restitutione in integrum et de validitate professionis) simul pertractari in S. C. E. E. et R. R. proposito distincto dubio."[3]

Quaeritur tandem *utrum professio nulliter emissa valeat aliquando tanquam votum simplex?*

Hic probe distinguendi sunt varii casus.

Primus: si deficiat consensus profitentis vel Religionis admittentis; quo in casu nullum votum adesse, omnes dicunt;[4] quamvis, uti ex supra dictis patet, ille possit esse abstrictus ad remanendum in Religione.

Secundus: si annos 16 non expleverit vel novitiatus tempus non perfecerit quocunque modo, vel ex eo quod facta sit in conventu non designato (hoc ultimo quoad Italiam et insulas adjacentes dumtaxat) non valet tanquam simplex votum. Bouix tenet quidem: valere. At declaratio quam citat ex Fagnani[5] non loquitur de

[1] cf. textum istius Const. *Richter-Schulte*, ed. Neap. 595 sqq.
[2] *Santi*, III. t. 31. n. 36, ed. Pustet 1898, p. 308.
[3] *Santi*, III. t. 31. n. 35, ed. c. p. 308.
[4] *Piat.* I. 151; *Bouix*, I. 642 sq.
[5] l. III. De Regul. n. 46.

voto, nisi de illo ingrediendi Religionem; ergo non est ad rem.[1]

Tertius: si deficit alterius conjugis consensus; valet tanquam votum simplex castitatis, unde impedit (non dirimit) matrimonium.[2]

Quartus: si professio emissa fuerit in Religione non approbata. Dicit Bouix valere tanquam votum simplex castitatis; sequi hoc ex constitutione Urbani VIII "Romanus Pontifex" d. d. 20. Maii 1626.[3]

Non erit tamen abs re notandum esse principium ab omnibus D.D. receptum: nimirum votum non obligare ultra intentionem voventis. Unde si quis determinatum vitae religiosae genus amplecti ita velit ut omne aliud excludat, dicendus est talis nulla obligatione vel voti simplicis teneri si professio eius nulla existit; non obligatione ad Religionem, quia professio nulla est; non ad vota servanda, quia deficit conditio status religiosi.[4] Hoc posse fieri, neminem puto negare. An forte non potest quis ita amplecti Ordinem S. Benedicti ut quamque aliam religionem excludat ea intentione ut potius non fiat religiosus nisi Benedictinus, et sic de aliis Religionibus? Habet enim unaquaeque suas praerogativas, suamque indolem, quae efficaciter influere possunt in voluntatem.

[1] *Ballerini-Palmieri*, Opus IV. p. 43. n. 77; cf. *Suarez*, de Relig. IV. c. 4. n. 7; *Piat.* I. 152; *Bouix*, I. 645.

[2] *Santi*, III. tit. 32. n. 5, ed. Ratisbon. III. 316; *Engel*, l. III. t. 32. n. 9; *Bouix*, I. 646.

[3] *Bouix*, I. 647 sq.; *Piat.* I. p. 153.

[4] *Ballerini-Palmieri*, Opus IV. p. n. 45.

Dicenda sunt aliqua de iis quae monialibus sunt propria.

§ 4. *De Monialibus.*

Tria possunt quaeri, sc. de qualitatibus admittendarum ad professionem, de numero, et de dote.

1. *De qualitatibus.*

a) *Libertas* perfecta, unde illi qui cogunt puellas ad ingrediendum Religionem plectuntur excommunicatione,[1] quae tamen nemini est reservata.[2]

b) *Aetas* ad professionem ut in viris religiosis; nec possunt amplius recipi ad habitum anno 15 expleto.[3] Pro ingressu oblatarum sufficit annus septimus expletus.[4]

c) *Alias conditiones*, si excipias aere alieno gravatas et reddendae rationi obnoxias,[5] habent communes cum viris. Non est reiicienda puella vel femina straba (squint-eyed), clauda, gibbosa, quia decor filiae regis ab intus.[6]

d) Ad qualitates et spiritum cognoscenda admittendarum requiritur examen ab Episcopo vel persona suffecta instituendum, uti jam diximus.[7] Omissio

[1] C. *Trid.* sess. XXV. de Ref. c. 18.

[2] "*Apost. Sedis*" d. 13. Oct. 1869. II. n. 10. loquitur de simonia, at non de vi et metu, unde non pertinet ad casum.

[3] *Bouix*, I. 652; *Tamburini*, De Jure Abbatissarum, disp. IV. q. 2. n. 1 ed. Col. Agripp. 1691, t. IV. p. 9; cf. Trid. sess. XXV. de Ref. c. 17.

[4] *Ferrari*, Summa Institutionum Canonicarum, Januae 1877, I. 235. *Tamburini*, l. c. d. I. q. II. n. 9. p. 3.

[5] Nam circa ipsas non valet const. Clem. VIII cit.; *Ferrari*, l. c.

[6] ibid.

[7] cf. sess. XXV. de Ref. c. 17.

tamen huiusmodi examinis non invalidat professionem.[1]

2. *De numero admittendarum.*

a) Non possunt admitti plures quam ali et sustentari possunt ex redditibus vel consuetis eleemosynis, juxta Tridentinum.[2]

b) In unoquoque monasterio *numerus certus* est figendus, et quidem *ab Episcopo* si sint ipsi subjectae, ab *Episcopo simul et Superiore Regulari*, si huic sunt subjectae;[3] et quidem numerus certus est figendus tum choristarum, tum conversarum, tum exterarum personarum quae monasterio sunt addictae.[4] Numerus iste non potest augeri nisi a S. C. E. E. et R. R.[5] Si *supernumerariae* admittuntur, istae semper qua tales considerantur nec subrogari possunt in loca decedentium, sive choristarum sive conversarum, quae supranumerariae non fuerunt.[6]

c) Duae germanae tantum sorores possunt in eodem monasterio recipi, quod statutum a S. Congregatione fuit, ne factiones orirentur. Nihilominus ex S. Sedis licentia posset recipi tertia et quarta, modo tertia afferat duplum dotis et quarta triplum; sed duae tantum sorores possunt habere vocem in capitulo, qua reliquae privantur.[7]

[1] *Craisson*, Manuale, n. 2727.
[2] sess. XXV. c. 3. de Regg.
[3] *Bouix*, I. 658.
[4] *Ferraris*, "Monialis," a. 2. n. 8.
[5] id. n. 14.
[6] id. n. 16.
[7] *Analecta T. P.* ser. IV. p. 1552, n. 84; cf. *Ferrari*, Summa Inst. c. I. p. 235.

3. *De dote monialium.*

a) Dos hic "intelligitur certa summa pecuniae, taxata a legitimo Superiore, quae dari solet monasterio, in sustentationem monialis in eo profitentis."[1]

b) *Non est simonia*, uti male jactat Van-Espen;[2] quia non datur ut pretium professionis, sed ad titulum sustentationis; quod maxime necessarium est in monasteriis cum clausura papali; quia aliter humanis subsidiis carerent.[3]

c) Monasterium opulentum potest accipere dotem, monasterium inops debet exigere.[4]

d) Dos *in pecunia*, non vero in bonis immobilibus danta,[5] in loco tuto, e.g. banca vel personae fidelis custodia, debet deponi,[6] et transit post professionem in dominium monasterii, ad quod absolute pertinet post mortem monialis professae, neque ad parentes eius amplius revertitur. Si moriatur, ante novitiatus annum completum, quamvis emiserit professionem, dos revertitur ad parentes vel consanguineos, si moriatur intestata.[7]

[1] *Pellizari*, de Monialibus, ed. Rom. 1761. p. 34; cf. *Bouix*, I. 660.

[2] *Van-Espen*, Jus Eccl. Univ. P. I. tit. 26. c. 1, ed. 1748. T. I. p. 162.

[3] *Bened. XIV*, De Synodo dioec. XI. c. 6; *Bouix*, I. p. 660 sq.

[4] *Tamburini*, De Jure Abbatiss. d. V. q. 3. n. 3. t. III. p. 18. Thesaurus Resolutionum, t. III. 3. 154, ed. Urbini 1739. cf. *Bouix*, I. 662 sq.

[5] cf. *Bizz.* l. c. p. 389; *Ferraris*, "Monialis," art. II. n. 19.

[6] cf. *Bizz.* l. c. pp. 34, 35.

[7] cf. *Ferraris*, "Monialis," art. II. n. 19; *Ferrari*, Summa Juris Can. I. p. 238.

e) Dotes *supernumerariarum* etiam conversarum investiri debent, aliarum vero dotes expendi possunt, cum licentia Superioris, in usus monasterii communes.[1] Ita S. C. E. E. et R. R. d. 15. Junii 1830.[2]

f) *Si egreditur* monialis simpliciter professa cum indulto Apostol. vel legitime est dimissa, restitui debet dos a monasterio.[3] Videtur tamen subtracta rata pro alimentis, quia dos datur respectu sustentationis.

Quid si fit *transitus ab una ad alteram Religionem*, intellige in quibus vota solemnia emittuntur et ipsa transiens vota solemnia emiserit? Bouix [4] putat non debere dotem restitui monasterio, ad quod fit transitus et citat De Lucca et Pignatelli. Attamen declaravit S. C. E. E. et R. R. d. 30. Maii 1856 restitutionem dotis debere fieri monasterio ad quod fit transitus.[5] (Non est quidem expresse dictum quod monialis fuerit solemniter professa.) Et notandum est quod defensor monasterii (Barenis) a quo fiebat transitus in favorem ipsius monasterii attulit illa loca citata ex de Lucca [6] et Pignatelli,[7] et tamen a S. C. contra monasterium Barense decisum est.

g) *Taxatio* dotis in praesentiarum fit a S. *Congregatione* E. E. et R. R.[8]—Quae dicta sunt de dote, intelligi

[1] *Ferraris*, "Monialis," a. 7. n. 29, 36, 38.
[2] *Bizz.* p. 422.
[3] *Bouix*, t. 665.
[4] I. 666.
[5] *Bizz.* 645 sqq.
[6] *disc.* 167. de Dote, n. 28.
[7] Tom. I. Consul. 432.
[8] *Bouix*, I. 663.

debent, stricte loquendo, de monialibus cum votis sol. dumtaxat; at sororibus cum votis simplicibus conceditur dotis acceptatio, imo exactio ratione sustentationis. Quoad has regulae quaedam observandae sunt, quae in ultimo capite tangentur. In institutis, ubi vota solemnia et simplicia, approbante s. Sede, emittuntur, conceditur ut "moniales votorum simplicium dotalia subsidia pro monialibus relicta servatis tamen aliis de jure ac ex praescripto testatorum servandis assequi possint et valeant, dummodo earum instituta ab Apost. Sede sint approbata, vota simplicia perpetua emittant nec testatores expresse edicant subsidia dotalia concedenda dumtaxat monachandis in monasteriis, in quibus solemnia vota emittur." Ita S. C. E. E. et R. R. d. 12. Nov. 1847.[1]

[1] *Bizz.* Coll. p. 120.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

Obligationes istae partim exsurgunt ex natura status religiosi, qui completur tribus votis essentialibus, partim ex natura institutorum peculiari, quia non omnes ordines eundem finem adaequatum prosequuntur vel saltem habent aliquid proprii adnexum. At generatim loquendo obligationes omnes religiosorum possunt reduci ad duplicem classem scilicet: ad eas, quae proveniunt ex natura votorum (praesertim trium substantialium) et ad eas, quae procedunt ex observantiis quidem propriis, attamen fere omnibus de statu religioso completo participantibus communibus. Unde in duplici articulo loquemur 1° de obligatione quoad vota et 2° de obligatione quoad observantias, quae statui religioso plerumque sunt adnexae.

Articulus I.

De obligatione quoad vota.

Aliqui ordines emittunt vota peculiaria praeter tria essentialia, ita e.g. membra Ord. SS. Trinitatis quoad captivos solvendos periculo propriae libertatis. Benedictini vero emittunt professionem supra vota

conversionis morum et stabilitatis, quorum ultimum facile reducitur ad obedientiam; conversio vero morum redundanda censetur in illam obligationem, vi cuius omnis religiosus tenetur tendere in perfectionem,[1] ex natura tum status tum votorum. Unde fere omnia peculiaria tandem aliquando resolvi dicenda sunt in unum ex tribus substantialibus. Proin consideremus tria vota: paupertatis, castitatis, obedientiae.

§ 1. *De obligatione ex voto paupertatis.*

Votum paupertatis obstringit non solum singula membra, sed etiam familiam religiosam, qua talem, saltem aliquatenus.

1. Non tamen obstat voto paupertatis, quominus *Ordines* vel *domus* religiosae aliquid in communi possideant sive mobile sive immobile. Hoc porro sequitur, non solum ex praxi immemorabili, verum etiam ex conceptu personae juridicae moralis,[2] qui institutis competit. Verum haec facultas possidendi non competit religiosis institutis independenter ab Ecclesia

[1] cf. *Schmier*, l. c. t. II. l. III. tr. I. P. I. c. III. sect. IV. § 2. n. 244 (p. 342).

[2] *Persona juridica definitur:* "plurium physicarum personarum vinculo aliquo morali collectio subjectum juris subsistens." Est *perfecta*, si est in proprio ordine sibi sufficiens et independens et proinde plene sui juris; est *imperfecta* si non est in suo ordine plene sui juris; cf. *Cavagnis*, Instit. Juris Publici Eccl., ed. Rom· 1882, vol. I. n. 13 sqq. Talis persona jurid. imperfecta est e.g. monasterium vel Ordo; dependet nempe ab Ecclesia. "Italia Unita" utique negavit monasteria esse personas juridicas, ut eo liberius ea spoliaret.

universali; est nempe inter utrumque corpus, Ecclesiam scilicet et instituta pia, qualia sunt monasteria, aliqua relatio, quae sic exprimi potest: Subjectum immediatum et proximum proprietatis intuitu bonorum istorum est institutum locale (sive monasterium), subjectum vero remotum et mediatum est Ecclesia generalis, quae mediante isto instituto possidet illa bona. Vel aliter: Piis locis attribuitur proprietas, Ecclesiae vero generali jus quoddam superioritatis et dispositionis.[1] Monasteria ergo ex jure ecclesiastico communi possunt aliquid possidere. Nec lex civilis in nostris Statibus Foederatis difficultates parit, quia tum Ecclesia tum singula instituta plenissima gaudent libertate.[2] Quoad bonorum acquisitionem, possessionem, administrationem unusquisque Status particularis leges fert proprias. Generatim loquendo monasteria (ecclesiae, collegia, gymnasia) adnumerantur inter corporationes, quarum juribus et privilegiis participant.[3] Istae corporationes possunt et debent condere normas vel statuta privata (By-laws), quibus relatio tum membrorum ad invicem tum ad statum determinatur.[4] Unde patet hac in regione monasteria sibi bene providere posse, et libera esse in exequendis juribus, siquidem ista libertas nititur lege fundamentali Statuum nostrorum. Quamvis, uti diximus, de jure communi (ecclesiastico, et

[1] cf. *Aichner*, Compend. Juris Eccl.; ed. 1895, p. 794.

[2] a. 1. emend. *Constit. U. S. A.*

[3] cf. e.g. *Revised Statutes of the State of Missouri*, 1899, Section 1394. art. XI.

[4] ibid. Section 1403.

civili in hac regione) liberum sit aliquid possidendi, tamen propter regulam vel constitutiones peculiares, *non omnes Ordines* de facto aliquid *possident in communi.* Scilicet:

a) "*Fratres Minores* Reformati, et de observantia" et Capuccini, quibus prohibitum est, quominus aliquid immobile in communi possideant [1] exceptis domibus et hortis.

b) *Societas Jesu,* cui hoc est proprium ut domus professae bonorum mobilium quidem dominium possint acquirere, non vero immobilium, praeter domus et horti.[2]

Et demum non erit abs re illa consideratio, quod etiam *monasteria, qua talia, tenentur ad aliqualem parsimoniam* et paupertatem observandam; siquidem nonnisi dependenter ab Ecclesia bona monasterii possident et administrant. Unde officiales et Superiores non se gerere debent tanquam domini independentes. Ad rem est Const. Urbani VIII "Nuper" d. 16. Oct. 1640.[3] Ibi dicitur quod monasteria non possint munera vel donationes maioris momenti elargiri. Quantitatem porro dimetiendam esse putamus ex conditione monasterii materiali. Possunt tamen "ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiae eiusque conservationis erga ipsam Religionem vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus modeste" elargiri munera "cum consensu maioris partis conventus."

[1] cf. Conc. *Trid.* sess. XXV. c. 3. de Regg.
[2] cf. *Schmalzgr.* l. III. tit. 35. n. 6.
[3] cf. *Linzer Quartalschrift,* Vol. LII. p. 620.

2. Quoad *singula membra* dicemus 1^mo^ de iis, qui in monasterio degunt et 2^do^ de illis, qui extra monasterium vivunt.

a) *Simpliciter professi* retinent dominium bonorum radicale, quamvis actu non possint, absque licentia Superioris, ea administrare deque eorum redditibus libere et licite disponere. "Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit ac etiam suo Ordini (exceptis Ordinibus S. Francisci de observantia, Reformatorum et Capuccinorum, pro quibus S. C. super Statu Regularium sustulit verba 'suo Ordini')[1] si ita pro eorum libitu existimaverint." S. Cong. super statu Regg. d. 12. Junii 1857.[2]—Quae "cessio vim amplius non habebit in casu egressus ab instituto, quin imo apponi poterit conditio, quod sit quandoque revocabilis, etiamsi in instituto permanserint; sed professae (vel professi) durantibus votis hoc jure revocandi in conscientia minime uti poterunt nisi accedente Apost. Sedis placito. Quod etiam dicendum est de bonis quae post professionem titulo haereditario eis obvenerint." Poterunt etiam de dominio sive per testamentum de licentia Superioris, sive per actus inter vivos disponere. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 12. Julii 1861 in Animadv. in Const. Sororum Hospitaliarium S. Pauli.[3] Et si haec decisio

[1] cf. *Bizzarri*, Coll. p. 857.
[2] cf. *Bizz.* l. c. p. 856. n. IX.
[3] ibid. p. 793. n. 8.

comparatur cum priori (d. 17. Junii 1857) pro Dominicanis edita, apparet quod sit congruens, quia hac in re simpliciter professi aequiparandi sunt institutis cum votis simplicibus. Excipe tamen Coadjutores formatos Societatis Jesu, qui, quamvis simpliciter professi, abdicant a se dominium rerum temporalium et fiunt incapaces haereditariae successionis.[1]

b) *Solemniter professi* abdicant a se in perpetuum omne rerum temporalium externarum, quae bona fortunae dicuntur, dominium, possessionem vel aliud jus vel saltem liberam dispositionem illorum et usum.[2] Quod etiam sancitum est Conc. Trid. decreto.[3] Acquirunt ergo omnia monasterio, si capax est possidendi. Verum ut perspicuitati consulatur, dicetur de iis rebus quae in voto non includuntur, et de iis quae includuntur.

1^mo^, quae *non includuntur* in voto paupertatis:

α) *beneficia*, eo quod non censentur bona temporalia; unde jus eligendi, patronatus etc. non adimitur professo. Beneficium saeculare utique renuntiari oportet;[4]

β) *honor* et *fama*, quae religiosus abdicare nequit; quamvis moderatio potest esse materia voti alicuius specialis;[5]

γ) *manuscripta* juxta sententiam communem a Liguorio, Lugo, Sporer, Salmanticensibus propugnatam;

[1] *Schmalzgr.* l. III. tit. 35. n. 6.
[2] ibid. n. 1.
[3] sess. XXV. c. 2. de Regg.
[4] *Schmalzgr.* l. III. tit. 35. n. 2.
[5] ibid. n. 5, e.g. quoad dignitates accipiendas in Societate Jesu.

enumerantur enim inter bona proprii ingenii.[1] Unde ea Religiosus sua dicere potest;

δ) *picturae, imagines, sculpturae,* quae propria arte et ingenio a professis sunt elaboratae; dicendae sunt etiam pertinere ad artificem, quidquid sit de materie cui ars applicetur.[2] Nam pars maior trahere videtur minorem. Porro tela, color etc. magni valoris non sunt dicenda, quia ars dumtaxat magnum valorem et pretium addere potest. At si istae (etiam manuscripta) res venduntur, fructus pertinent ad conventum;

ε) *reliquiae, medalia, cruces, rosaria,* i.e. res devotionales, quae pertinere dicuntur ad religiosos, dummodo res ipsae non sint pretio magno aestimabiles ratione materiei ex qua consistunt vel ratione capsarum, in quibus conservantur, e.g. reliquiae;[3]

2^do^, *quidnam includatur in voto paupertatis.* Includitur omne id, quod rationem habet proprii; vel quod rationem induit liberae et independentis a Superiore dispositionis alicuius boni. Unde:

α) non possunt quidquam, uti Trid. ait, tanquam *proprium possidere* vel tenere nec quidquam superflui possidere;[4]

β) non possunt *munera,* saltem maioris pretii elargiri, donare vel accipere;[5] excipiuntur leviora "esculenta aut

[1] *Craisson,* n. 2750; cf. *Bened. XIV* "Postulat" apud *Ball. Palmieri,* Vol. IV. p. 59.

[2] *Craisson,* n. 2751.

[3] *Piat.* I. p. 241.

[4] *Trid.* sess. XXV. C. 2. De R.

[5] *Clem. VIII* "Religiosae Congregationes." *Ferraris,* "Regu-

poculenta seu ad devotionem et religiositatem pertinentia." [1]

γ) Professi, tam Superiores quam subditi, nequeunt condere *testamentum*,[2] neve ad pias causas testari,[3] neque de licentia Superioris,[4] neque eo in casu, quo ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent, cum facultate testandi, quia est actus dominii, quo solemniter professus prorsus incapax existit.[5] Quinimo Regularibus professis neque licet testamentum a se ante professionem conditum moderari.[6] Excipiuntur tamen 2 casus: 1mus quo paterfamilias omiserit ante professionem disponere de bonis suis; potest post professionem illa inter filios distribuere. 2us casus est, quo licentia s. Sedis obtinetur.[7]

δ) Non licet professo *renuntiare aliquod legatum* in favorem, e.g. alicuius consanguinei, saltem absque licentia Superioris (et si agitur de legato pinguiori, Superior consensum exquirere debet capituli), quia hoc monasterio acquiritur. Secus dicendum est de muneribus vel donationibus, quae absque voti paupertatis laesione renuere potest Regularis.[8]

Quid de peculio? "Peculium intelligitur quodlibet

lares," a. 1. p. 67. *Urbani VIII* "Nuper" d. 16. Oct. 1640. *Ferraris*, ibid.

[1] Ita in "Nuper" § 1.

[2] *Ferraris*, "Regulares," n. 62.

[3] ibid. n. 63.

[4] ibid. n. 64.

[5] ibid. n. 65.

[6] ibid. n. 66.

[7] *Craisson*, n. 2776 sq.; *Bouix*, II. 558.

[8] *Craisson*, n. 2774.

bonum temporale ad particulares alicuius Religiosi, non autem ad communes monasterii usus destinatum." [1] Quaeritur 1° utrum et quomodo licitum sit, 2° utrum licitum sit introducere peculium.

Ad 1^m. Distinguendum *duplex peculium.* Alterum est juris perfecti cum facultate de eo libere et independenter ab alio (sc. Superiore) disponendi; alterum juris imperfecti, tribuentis administrationem, possessionem vel detentionem et usum dependentem ab alio, ita ut ad eius arbitrium restringi, revocari et auferri possit.[2] Alii distinguunt aliter hoc modo: Peculium vel portio quaedam ex communi bonorum massa religiosis singulis tradita, qua sibi quotannis pro victu, vestitu ceterisque necessitatibus consulere valeant. Alterum peculium, quod non ex massa communi, sed aliunde religiosi singuli accipiunt eoque suis necessitatibus consulunt.[3]

Porro *peculium juris perfecti stare nequit cum voto paupertatis*, nec etiam cum dominio radicali, quod retinent simpliciter professi. Aequat enim jus actuale dominii, quod repugnat religiosae paupertati.[4]

Peculium *juris imperfecti*, post Tridentinum, non est quidem conforme textibus juris; at consuetudo hac in re jus istud temperavit ita, ut *licite et valide* peculium tale possit retineri.[5]

[1] *Bouix*, II. 540.
[2] *Schmalzgr.* III. 35. n. 11.
[3] *Ballerini-Palmieri*, IV. p. 62.
[4] cf. *Schmalzgr.*, *Reiffenstuel, Fagnani*; in III. 35.
[5] Ita *Schmalzgr.* III. 35. n. 14; *Liguori*, l. IV. c. 1. n. 15; *Bouix*; II. 545 sqq.; *Craisson*, n. 2757; *Ballerini-Palmieri*, IV. 66.

Sane essentiae voti paupertatis non obstat peculium juris imperfecti seu cum usu dependenti a Superiore. Nam essentia voti paupertatis excludit actum dumtaxat, qui dicitur proprietarius; jamvero qui utitur peculio dependenter certe non potest dici exercere actum proprietarium. Proin essentiae voti paupertatis non obstat peculium juris imperfecti.[1]

Conditiones quae licitum usum modificant sunt fere sequentes:[2]

1ª ut habeatur peculium dependenter a voluntate Superioris;

2ª ut peculio utentes parati sint illud ad nutum eius consignare;

3ª ut ipsum convertant in usum licitum vel pium;

4ª ut non sit peculium superfluum;

5ª ut sit in aerario communi.

Hoc ultimum magis ex consuetudine determinandum est; si e.g. usus invaluerit ut religiosi peculium apud se conservent, hoc videtur illicitum, praesertim si ita obseretur et claudatur, ut Superior de illo non possit libere disponere.[3]

Ad 2m. Quoad *peculium introducendum* observa, quod Superiores hoc absque gravi peccato, non ratione paupertatis, sed damni emergentis introducere non possunt.[4] At difficultas occurrit de novo monasterio fundando, quod a monasterio, in quo peculium viget,

[1] *Ballerini-Palmieri*, IV. 63.
[2] cf. *Ferraris*, "Moniales," a. 2. n. 71.
[3] *Bouix*, II. 551; *Craisson*, n. 2760.
[4] *Liguori*, l. IV. c. 1. n. 15; *Bouix*, II. 549.

fundatur. Potestne Superior novi monasterii hoc permittere? Supponitur casus, quod praeter monachos e veteri monasterio missos novi ibi vivant.

Respondemus remissive, quia hac de re certi aliquid non videtur posse erui. Consuetudo peculii possidendi non est conformis textibus juris; atqui haec consuetudo non videtur suppeditare noviter erigendo monasterio, ergo licite non potest introduci ista consuetudo. Praesertim notandum est, quod communiter docent theologi, vituperio scilicet dignos esse regulares qui absque gravi incommodo vitam communem introducere possint, hoc facere negligant. Porro vita communis, quae peculio valde relaxatur, est forma ab Ecclesia praescripta,[1] ergo absque magno detrimento et contra voluntatem Ecclesiae non potest peculium introduci. Deberent proin monachi ex monasterio veteri deputati huic observantiae se submittere, saltem certe in eo casu, quo eis nihil necessarii deesset et ratio existentiae ob peculiares illius terrae leges hac in re libertatem illis relinquit. Eodem fere modo loquendum est de casu reformationis monasterii, quae aut ab Ordine ipso aut ab Apostolica Sede inculcatur. Tenentur quippe regulares peculium a se abdicare.[2]

Quid de *livellis seu vitalitiis?* Vitalitia sunt annuae praestationes seu census quae regularibus assignantur aliunde ac a monasterio ad honestum et licitum usum cum licentia Superioris. Invaluit hic usus, certe non

[1] cf. *Trid.* sess. XXV. c. 1. de Regg.; cf. thema 3. Conc. Vat. Martin Coll. P. III. 238. *Piat.* I. 249.

[2] *Bouix*, II. 548.

laudandus, praesertim apud moniales. De eisdem loquendum est eodem modo ac de peculio, cum quo multa elementa similia habet.[1] Sine licentia S. Congregationis E. E. et R. R. regulares et moniales nequeunt cedere livella consanguineis; ipsis tamen possunt cedere fructus illorum cum Superiorum consensu, modo ad magnam summam non pertingant.[2]

ε) Dicendum est de *licentia Superioris requisita*, ut quis religiosus accipiens, retinens, absumens, permutans, alteri donans vel commodans a paupertatis transgressione excusetur.

1° Certum est debere esse istam licentiam *voluntariam*, non metu, vi, fraude extortam,

2° debere esse *justam*, quam Superior dare possit. Si religiosus proin pecuniam vel res alias expenderet in usus turpes, vanos, superfluos e.g. in sumptuosa convivia, vestes sericas, vanas picturas a vitio proprietatis et peccato contra votum paupertatis non excusatur, supposita etiam Superioris licentia.

3° Licentia *expressa* certe sufficit, sed non semper requiritur nisi in casu, quo de re *maioris momenti* ageretur.

4° Sufficit *tacita*, quod potest triplici modo contingere:

a) si id de cuius licentia agitur, in expresso contentum est, e.g. qui licentia gaudet utendi tabacco certe habet facultatem sibi procurandum istud;

[1] cf. *Schmalzgr.* III. tit. 35. n. 15 sq.
[2] *Craisson*, n. 2762.

b) quando ita consuetudine Religionis receptum est, e.g. iter agentes—quod valere putamus etiam de "expositis," de illis, sc. qui curam animarum suscipiunt extra monasterium—possunt moderatas eleemosynas facere vel donationes leviores consanguineis et amicis in signum gratitudinis et amicitiae elargiri;

c) quando Religiosus re aliqua temporali utitur Superiore conscio et non contradicente, nisi iste (Sup.) taceat ex metu querelarum vel ex verecundia vel ob aliquod maius incommodum evitandum.

5° Sufficit licentia *praesumpta*, si Superior commode non adiri potest et necessitas ad aliquid accipiendum vel expendendum urget. Ista non sufficit in casu, quo Superior non aditur ob verecundiam, pudorem etc.[1] Aliqui distinguunt licentiam praesumptam de praesenti et praesumptam de futuro. Prior habetur, quando merito praesumitur Superiorem hic et nunc virtualiter saltem consentire, quam sufficere putant. Posterior est, qua praesumitur Superior concessurus si rogaretur, de qua controvertitur.[2] Caeteroquin haec ultima cadere videtur in casum, quo Superior ex aliqua ratione non aditur. Proin putamus cum Schmalzgrueber istam non sufficere. Quoad cognitionem futurae voluntatis Superioris sufficere videtur probabilem.[3]

2. *De his qui extra monasterium degunt.*

Non intelligimus hoc loco, iterantes vel expositos (parochos, vel missionarios), nam de his eodem modo

[1] *Schmalzgr.* III. 35. n. 24–28.
[2] cf. *Bouix*, II. 561, juxta *Liguori*, IV. c. 1. n. 17.
[3] *Schmalzgr.* III. 35. n. 31.

dicendum est ac de monachis in monasterio degentibus, sed comprehendimus illos qui ad dignitatem aliquam sunt evecti, et illos, qui sunt saecularisati.

a) *de Episcopis.* Communiter dicunt D.D. regularem ad episcopatum evectum remanere votis adstrictum, et evadere administratorem dumtaxat ecclesiae cathedralis bonorum, non dominum;[1] unde concludunt:

α) quidquid acquirant post confirmationem,[2] hoc non monasterio, sed ecclesiae cathedrali acquirere;

β) non posse de bonis suis per actum ultimae voluntatis disponere, nisi indultum testandi obtinuerint a s. Sede.[3] Haec regula etiam tenet, si regularis ante professionem juri haereditandi in favorem, v.g. fratris sui renuntiaverit, tamen quoad illas tantum haereditates quae alteri non sunt acquisitae ante adeptum episcopatum. Restringit tamen Engel istam "acquisitionem cathedrali adipiscendam" ad bona "prospectu Ecclesiae," et putat bona aliunde v.g. successione consanguineorum, industria, parsimonia posse acquirere vel Summo Pontifici vel monasterio.[4] Vocat utique oppositam suae sententiam communem D.D.

γ) concedunt D.D. Episcopo regulari facultatem, ut ex S. Pontificis licentia ob ipsam promotionem praesumpta, possit reditus mensae episcopalis et aliorum

[1] c. 1. C. 18. q. 1.

[2] *Aichner*, Comp. p. 841; dicit consecrationem.

[3] *Santi*, III. 35. n. 10; *Schmalzgr.* III. 31. n. 214; *Schmier*, l. III. t. I. P. I. c. III. n. 263 sqq.; *Engel*, III. 31. n. 6. 7 sq.

[4] l. c.

bonorum quae fortassé acquisivit, in licitos et honestos usus impendere, prout exigit dignitas episcopalis.[1]

b) *De saecularisatis:*

α) Si est *ad tempus* saecularisatus omnia bona acquirit monasterio, et si e vita decedat jus succedendi haereditati pertinet etiam ad monasterium[2] (intellige semper, si est capax possidendi monasterium);

β) si est *perpetuo* saecularisatus, debet servare votum paupertatis in substantia; potest tamen bona, si quae possidet, in honestos et licitos usus adhibere et praesertim in propriam sustentationem erogare, sed eorundem bonorum verum dominium non habet et per consequens sine licentia S. Sedis de iis libere disponere nequit. Nota sequentia:

αα) bona relicta a *regulari defuncto* (saecul.) quae egrediens e monasterio attulerat, et bona quomodocunque ex iis provenientia, eius monasterio manent;[3]

ββ) cetera bona a tali monacho extra claustra acquisita juxta Const. Gregorii XIII "Officii nostri" d. 21. Jan. 1577 camerae (apostolicae olim, nunc) spoliorum in Propaganda applicari debent.[4]

γγ) Jus percipiendi ratas pensionum, quae a publico aerario regularibus extra claustra degentibus solvantur, si forsitan post mortem religiosi saecularisati adhuc solvendae sunt, pertinent item ad cameram spoliorum.[5]

[1] *Santi*, l. c.
[2] *Aichner*, Compend. 841. *Santi*, l. III. tit. 35. n. 15. p. 339.
[3] id. p. 841.
[4] ibid.
[5] Ita specialis Cong. d. 26. Junii 1829 declaravit *Bizz.* 71.

δδ) Si indultum apostolicum obtinuerint de his ratis testandi, ratae illae pertinent ad ipsum in cuius favorem facta est dispositio eo in casu, quod regularis ap. indulto legitime fuerit usus; si non legitime fuerit usus, pertinent, ratae illae ad Cameram Spoliorum.[1]

(N.B. Quoad simpliciter professos ratae istae pertinent ad haeredes, sive ab intestato sive ex testamento veniant.[2])

§ 2. *De voti castitatis obligatione.*

Per votum castitatis religiosi non solum matrimonio, sed etiam omni delectationi venereae renuntiant adeo ut contra castitatem peccantes simul et votum violant et proin peccatum perpetrant triplicem malitiam continens, nempe impudicitiae contra castitatem, infidelitatis contra Deum ob non impletionem promissionis ipsi factae, sacrilegii ob profanationem personae Deo consecratae. Hoc est certum, si votum sit solemne;[3] qui vero statuunt essentialem differentiam inter votum solemne et simplex, coguntur dicere minoris malitiae esse voti simplicis violationem cum absentia speciei aggravantis. Ad hoc votum, uti patet, obligantur etiam Episcopi et saecularisati et quidem ratione voti. Quae attingunt matrimonium, explicata habebis ubi de effectibus professionis.

§ 3. *De voti obedientiae obligatione.*

Bene dividitur obligationis obedientiae consideratio in terminativam, objectivam et subjectivam. Unde

[1] *Bizz.* l. c. [2] ibid. [3] *Craisson*; n. 2747.

1mo *terminative* loquendo: Regularis promittens obedientiam obligat se Religioni cui se tradit, quam ob rem efficitur *subjectus* isti *Religioni.* Quidquid porro sit de multiplici malitia, quam contrahit peccans contra hoc votum, certum est quod peccat contra Religionem ob transgressionem voti;[1] quod sufficit scopo nostro. Ex hoc dein sequitur, quod regularis:

a) Tenetur *obedire Praelato* seu Superiori suae Religionis tam mediato quam immediato cum subordinatione tamen i.e. respectu habito ad officium, quod Superior occupat, sc. Abbati (Provinciali), Priori et deinde aliis officialibus;

b) tenentur religiosi utriusque sexus obedire *Summo Pontifici,* tanquam supremo Prelato, si praecipiat ea, quae Regulae conformia sunt.

c) Regulares *exempti* vel moniales exemptae *non* tenentur obedire *Episcopo* ratione voti, quia istorum Superior non est quoad observantiam regularem.

d) Non-exempti regulares et non-exemptae moniales tenentur obedire Episcopo, si et ipsi voveant obedientiam; non vero eo in casu, quo non vovent specialiter obedientiam Episcopo, quia obedientiam promittunt non Episcopo, sed Praelato et huius, non illius regimini se submittunt.[2]

e) *Moniales* vi voti obedire tenentur Abbatissae sive Priorissae, quia istae quamvis non habeant jurisdictionem spiritualem, gaudent tamen in sibi subjectas

[1] cf. *Schmalzgr.* III. 35. n. 56.
[2] *Schmalzgr.* III. 35. n. 58–61.

potestate dominativa et domestica acquisita per traditionem sui monialium.[1]

2^do *objective* loquendo:

a) Regulares tenentur obedire Praelato vel Superiori praecipienti ea, quae in *Regula* et *Constitutionibus* uniuscuiusque Ordinis sive *explicite sive implicite continentur*, non vero praecipienti, quae vel sunt illicita vel in Regula et Constitutionibus nullomodo contenta sunt (praeter Regulam); quia Regularis professionem emittit "secundum Regulam" et ulterius implicite non vult se obligare. Porro tacite seu implicite comprehensa in Regula (et Constitutionibus) censentur omnia, quae moraliter necessaria sunt ad conservationem Instituti et ipsius Regulae expressae observationem.[2] In specie respectu omnium Religionum implicite in Regula continentur mutua officia et obsequia fraternae charitatis, munera seu functiones et officia Ordinis, correctiones et poenae ob defectus culpasque commissas mortificationes, poenitentiae et alia pia opera atque exercitia conducentia ad huiusmodi transgressiones in futurum vitandas, ad publicas calamitates et alia mala evitanda.[3]

b) Quoad *obligationem ad asperitates* primaevae regulae D.D. ita distinguunt: Si asperitates istae ab ipso Religionis exordio non includuntur in ipsis votis, non tenentur Religiosi ad eas. Si includuntur, iterum, distinguunt: si vota quoad tenorem et sensum mutata

[1] *Schmalzgr.* III. 35. n. 59.
[2] S. *Thom.* II. dist. 44. q. 2. ad 3^m.
[3] *Schmalzgr.* III. 35. n. 65.

sunt, asperitates, quae votis non amplius continentur, Religiosi amplius observare non tenentur; si vero votorum sensus et tenor sit idem, qui fuerat primo tempore, tunc eas observare tenentur.[1]

c) Occurrit nunc quaestio, utrum in casu, quo *Regula ad primaevum rigorem reducta est*, ad huius rigoris observantiam obligentur etiam illi, qui Religionem professi sunt ante reformationem. Distinguunt auctores etiam isto in casu. Si licita fuit mitigatio, sc. privilegio apostolico vel justa ex causa ab ipsius Ordinis Superioribus introducta, non tenentur isti Religiosi. Si illicita fuit, scilicet negligentia tantum et conniventia Superiorum introducta, teneri dicunt religiosos dictos ad observantiam.[2] Ita communiter auctores. Excipiunt utique casum quo asperitates illae accidentariae essent valde graves et rigor ille primaevus a praesenti observantia valde diversus ita ut vitam religiosam multo difficiliorem reddat; " nam ad huiusmodi reformationem suscipiendam ante-professi non obligantur, cum praesumi rationabiliter nequeat, quod ad illam voto intenderint se obligare."[3]

d) Tenetur Religiosus *obedire praecipienti* Superiori aliquid cui adnexum est *periculum vitae*, si adsit causa gravis vel aliunde res praecepta sub regula comprehendatur.[4] Sermo est de servitio laborantibus conta-

[1] *Schmalzgr.* l. c. n. 77. *Piat.* I. 286.

[2] *Schmalzgr.* III. 35. n. 78–80. *Suarez*, De Relig. l. X. c. 8. n. 16 sqq. *Piat.* I. p. 287.

[3] *Schmalzgr.* l. c. n. 81.

[4] *Bouix*, II. 433.

gioso morbo praestando, quo in casu distingui oportet: si laborans isto morbo sit de familia monasterii tunc tenetur certe, ratione voti, quia saltem implicite continetur in Regula, qua praecipitur ut religiosi mutua sibi obsequia praestent. Si vero non est de familia, e.g. saecularis, qui nullomodo pertinet ad familiam relig., non videtur obligari, nisi habeat votum speciale sui Ordinis etiam istis inserviendi. Deberent tamen parochis deficientibus, sacerdotes regulares administrare sacramenta contagioso morbo laborantibus.[1]

e) Religiosus tenetur obedire Superiori praecipienti *actus internos*, si connexionem habeant cum externis, e.g. missam secundum intentionem Abbatis vel Superioris applicare.[2]

f) Quaeris an teneatur obedire Religiosus si praecipitur ipsi a Superiori aliquid ridiculi, indifferentis vel impossibile ex lege naturae. Respondetur:

α) quoad *ridiculum:* Si praecipitur vane et absque fine, tunc non tenetur; eodem modo de indifferenti dicendum est;

β) de *impossibili:* naturaliter loquendo non tenetur; quamvis supernaturaliter licite potest obedire, at non tenetur.

g) Religiosus *non* tenetur parere Superiori praecipienti, ut *acceptet beneficium saeculare*, i.e. tale quod pertinet ad clerum saecularem et ab isto communiter administratur, nisi forte alicui instituto (e.g. Praemonstratensium) proprium sit, ut administrandis etiam

[1] *Bouix*, II. 433; *Schmalzgr.* III. 35. 7.
[2] *Bouix*, ibid.; *Ferraris*, "Votum," a. I. n. 27.

saecularibus beneficiis curatis ipsius religiosi se impendant. Tenetur vero illud acceptare, si est beneficium regulare.[1]

h) Hic inserenda sunt aliqua, quae novissimo decreto S. C. E. E. et R. R. d. 17. Dec. 1890 statuit, sc. quoad aperitionem conscientiae et receptionem ss. Eucharistiae.

α) Circa *aperitionem conscientiae* et cordis dispositiones ex Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus omnino "deleantur penitusque expurgentur." "Districte insuper prohibet Superioribus ac Superiorissis, cuiuscunque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendum; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuntient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denuntiatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu." Ita S. Congregatio E. E. et R. R. de aperitione conscientiae.[2] Ad eandem libertatem conscientiae tuendam editum est decretum pro Urbe praescriptivum—quod potest directivum vocari pro "Orbe"—s. O.

[1] *Bouix*, II. 436.

[2] cf. *Santi*, l. III. tit. III. 35. n. 2.

d. 5. Julii 1899 quod "districte prohibet ne ullus cuiusquam Religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales Confessiones audire ullo pacto audeat." [1]

β) Quoad ss. *Eucharistiae receptionem* sequentia praescribit S. C. E. E. et R. R. in citato decreto: Possunt Superiores prohibere sumptionem s. Communionis in casu, quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem Confessionem communitati scandali fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit.—Habent jus, ut quotiescunque unus ex subditis licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris (sc. quam in regula concessae) ac etiam quotidianae Communionis, ab ipso subdito certiores de hoc fiant, necnon ut, si justas gravesque causas se habere reputent contra frequentiores huiusmodi Communiones manifestent — manifestare autem etiam debent—Confessario, cuius judicio acquiescendum omnino erit. Ceterae de recipienda ss. Eucharistia dispositiones solummodo ad Confessarium sive ordinarium sive extraordinarium spectant. Quare Calendarium sive catalogus dierum Communionis—nonnullae enim Regulae continent catalogum dierum hebdomadis, quibus ss. Eucharistia sumenda est—nihil praebet nisi monitum ut omnes ad s. Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis Regulis statutis. Communionem frequentius

[1] *Archiv f. K.-R.* 1900. (LXXX) p. 144 sq.

vel rarius quam hisce in calendario statutis diebus permittere solius est Confessarii.

Hoc decretum S. Congregationis E. E. et R. R. non respicit omnes Ordines et Congregationes, sed tantum *Societates et Instituta mulierum* sive votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum omnimode laicorum, e.g. fratrum Scholarum Piarum et hoc etiam quoad aperitionem conscientiae valet.[1]

N.B. Notamus hic, quod quidem proprie pertinet ad moralitatem actus, quod Superioris praeceptum non obligat sub gravi, nisi in materia gravi, et tunc adhuc opus est ut Superior per verba e.g. in virtute obedientiae vel in nomine D. N. J. C. manifestet suam voluntatem.[2] —In dubiis an res injuncta sit illicita (si manifesto est illicita non potest obedire) vel contra Regulam, tenetur religiosus praecipienti Superiori parere. "Sic fere communis doctorum sententia."[3]

3. *Subjective:* considerandae sunt *personae,* in quibus obligatio tenet.

a) Patet quod *omnes singuli Religiosi* in monasterio degentes ad has obligationes obstringuntur.

b) Nec eximuntur ab istis *Expositi,* uti vocantur, vel curis animarum mancipati extra monasterium, aut Confessarii aut Capellani, etc.

c) Proprie hic dicendum est de regularibus ad episcopatum vel aliam dignitatem ecclesiasticam provectis et de saecularisatis.

[1] *Santi,* l. c. p. 333.
[2] *Suarez,* de Rel. l. X. c. 4. n. 9; *Bouix,* II. 428 sq.
[3] *Ferraris,* "Votum" a. 2. n. 15.

α) Quoad *Episcopos* dicendum est, votum obedientiae in se spectatum non solvi per promotionem personae ad episcopatum, sed eius observantiam urgeri non posse, quia Episcopus non habet amplius Superiorem regularem, cui subiciatur. Si vero Episcopus a sua Ecclesia recesserit sive ob privationem, sive ob renuntiationem, sive quia non possit aut nolit residere in dioccesi, redire debet ad claustra religiosa et subesse Superioribus et regulas observare tenetur. Ita statuit Alexander VII in decreto d. 26. Julii 1662, confirmato a Clemente XI anno 1715.[1]

β) *Saecularisati* sive ad tempus sive in perpetuum, subiciuntur Ordinario (sive ratione domicilii noviter acquisiti, sive beneficii, quoad clericos) "in vim etiam voti solemnis obedientiae."[2]

Articulus II.

De obligatione quoad observantias.

Addit status religiosus aliqua, quae non omnino et per se in votis includuntur, quae omnia juxta inscriptionem hic complectimur. Hic praesertim respicitur ad ea, ad quae Religio unumquemque ex suis obligat, et generatim enumerantur: observantia Regulae, obligatio ad officium, ad habitum deferendum et ad legem clausurae observandam.

[1] *Santi*, III. tit. 35. n. 10, ed. c. III. 337; *Craisson*, n. 2891.
[2] *Santi*, l. c. n. 15, p. 339.

§ 1. *De observantia Regulae.*

Hic intelligimus vel comprehendimus nomine "Regula" etiam Constitutiones; eadem enim est obligatio istas ac illam observandi, praesertim cum Constitutiones non absque approbatione S. Sedis—quod valet et de Regula—inducantur. Hic breviter tamen loquimur de obligatione Regulae, quia est potius materia Theologiae moralis. Dico ergo:

1° *Regula* religiosa non est merum consilium, sed aliquatenus habet *rationem legis*, praesertim cum transgressorem istius vincit poenae a Praelato juxta Regulam infligendae.[1]

2° Per se tamen Regula *non obligat* nec *sub levi* nec *sub gravi*, considerata gravitate materiae, nisi haec obligatio in ipsa Regula exprimatur; nec obligat vi obedientiae, nisi iterum hoc in ipsa declaretur: quia ordinarie religiosi non emittunt votum servandi Regulam, sed solum obediendi secundum Regulam.[2] Pendent ergo omnia ab intentione legislatoris Regulae, quae intentio ex verbis est interpretanda juxta regulas interpretationis legum.[3]

3° Potest utique *actus violationis* Regulae esse *peccaminosus ex circumstantiis adjunctis*, quae enume-

[1] *Ferrari*, de statu Relig. 178; *Bouix*, II. 573; *Suarez*, de Rel. I. c. 2. n. 2.

[2] *Bouix*, II. 574.

[3] *Aichner*, Comp. p. 492; cf. tamen tractatum in *Tübinger Quartalschrift* 1900 (LXXXII), p. 204 (p. 258), ubi quaestio de obligatione legum poenalium bene tractatur et negatur illarum existentia.

rantur numero sex praesertim: sc. si violatio fiat ex contemptu (qui tamen non ex sola frequentia actuum contra Regulam est emetienda, sed potius ex positiva voluntate, quâ renuit subjici[1])—si annexum habeat periculum proximum labendi in peccatum mortale—si damnum inferat religiosae disciplinae—si secum trahat violationem voti—si religiosum exponat expulsioni—si secum trahat violationem praecepti tendendi ad perfectionem.[2]

4° *Causae ab observatione Regulae excusantes* sunt:

a) impotentia physica et moralis;

b) legitima dispensatio, quam non licet extorqueri a Superioribus, quaeque non est concedenda nisi ex rationabili causa;

c) legitima consuetudo, quae tamen locum habere nequit circa regulas quae inculcant obligationes votorum vel aliquod divinum aut ecclesiasticum praeceptum.[3]

5° Hic etiam potest quaeri de Episcopis regularibus et saecularisatis, utrum ad observantiam Regulae teneantur:

a) Quoad *Episcopos* (Cardinales) regulares dicendum est ipsos substantialiter remanere religiosos. Subsunt nempe observantiae Regulae quatenus ista "muneris episcopalis ac curae pastoralis exercitio impedimenti non sit." Ita Alex. VII d. 26. Julii 1662 et Clemens XI anno 1715 statuerunt; item Benedictus XIII d. 7. Martii 1725 in sua Const. "Custodes."[4]

[1] *S. Thom.* 2–2, q. 106. a. 3. ad 3[m].
[2] *Bouix*, II. 576 sqq.
[3] *Ferrari*, de Statu Relig. 180.
[4] *Santi*, III. tit. 35. n. 13, III. 338.

b) Quoad *saecularisatos* dicendum est in indulto saecularisationis non injungi ipsis observantiam Regulae Ordinis. Quare si in professione praeter tria vota communia, religiosus quartum votum emisit, e.g. votum abstinentiae a carnibus, post saecularisationem substantialiter illud observare debebit; non vero debebit observare jejunia quae a Regula praecipiuntur, sed non fuerunt objectum specificum voti.[1]

§ 2. *Obligatio Regularium ad officium divinum.*

Hic agemus de divino officio tum choraliter tum private recitando, necnon de Sacrificio celebrando, quatenus praesertim canones hac de re aliquid statuunt.

A. *De Officio divino.*

1. De *recitatione in choro.* Clemens V in Concilio Viennensi (1311) statuit: "ut in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis ecclesiis horis debitis psallatur."[2] Tenentur regulares ad chori officium. Attamen hoc juxta unanimem consensum auctorum valet de illis tantum, quibus id Regula ab Apostolica Sede approbata praescribit. Sane de Benedictinis dubium adesse non videtur, cum Legislator noster hoc opus tanquam palmarium injunxerit Regulâ suâ.

Quaeritur, *quinam teneantur* ad chorum, quonam breviario utendum et quidnam circa moniales tenendum sit.

[1] *Santi*, l. c. n. 16, p. 340.
[2] c. 1. *Clem.* (III. 14).

a) Tum *solemniter* tum *simpliciter professi* tenentur choro interesse.[1]

α) Requiritur ut iste saltem numerus Regularium adsit in choro, qui officium decenter et commode possit absolvere. Communiter dicitur 4 sufficere ad hoc, ut rite persolvatur. Hoc potest deduci ex declaratione S. C. C. d. 26. Aug. 1873 edita, quod conventus possint existere cum 4 ad minus sacerdotibus maturae aetatis.[2] Isti quatuor possunt esse etiam Novitii soli.[3]

β) Superior invigilare debet, ut horae in choro persolvantur, et graviter peccaret si eius negligentia omitteretur. Casu quo ista negligentia Superioris adesset, unusquisque religiosus teneretur curare ne recitatio omitteretur.[4]

γ) *Causae* ab officio in choro recitando *excusantes* sunt:

1ª impotentia physica vel moralis;

2ª legitima Superioris dispensatio, quam dare potest Superior juxta decretum Clementis VIII "Nullus omnino" d. d. 25. Junii 1599[5] in sequentibus rebus:

1° "Pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus," e.g. parochus.

2° "Lectoribus et praedicatoribus; sed in iis tantum diebus, quibus eos legere aut praedicare contigerit."

3° "Aegrotis et studiorum causa legitime impeditis,"

[1] Ita S. C. de Statu Reg. d. 6. Aug. 1858 declaravit; *Bizz.* 857.

[2] *Aichner*, Comp. 470; cf. Innoc. XII. const. "Nuper" d.d. 23. Dec. 1697.

[3] *Ferraris*, "Officium div." a. 1. n. 44.

[4] *Piat.* I. 311 sq.

[5] cf. *Tamburini*, l. c. disp. VI. q. VI. t. III. p. 91.

quibus ultimis illi etiam adnumerari possunt qui imprimendis libris pro Religionis vel Ecclesiae bono occupantur.[1]

b) *Breviarium et Calendarium* quod attinet, dicendum est antiquas Religiones (sc. antiquiores ducentis annis Constitutione edita a Pio V "Quod a Nobis" d. 9. Julii 1568 posse retinere si quod habuerint proprium Breviarium, alias assumere debent Breviarium Romanum. Eodem fere modo dicendum est de calendario, circa quod antiquitas non parit differentiam. Si proprium conceditur, possunt illud sequi; alias dioecesanum sequantur calendarium.[2] Regulares, qui "praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt," debent uti calendario coenobii apud quod hospitantur, si in choro assistunt officio; si privatim recitent, est "servandum calendarium coenobii a quo discesserunt."—S. R. C. d. 27. Junii 1896.[3] Non licet "Regularibus si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius ecclesiae Saecularium, s. functiones juxta ordinem calendarii propriae Religiosae Congregationis peragere, relicto calendario dioecesano, cui populus jam assuetus fuerit."—S. R. C. d. 4. Feb. 1898.[4] Hoc notandum praesertim in Anglia et Nostris Statibus, ubi hic casus plerumque potest contingere.

[1] *Piat.* I. p. 314.

[2] id. p. 320 sq.; cf. *Van der Stappen*, Sacra Liturgia, Mechliniæ 1898, t. I. p. 114. q. 72.

[3] cf. *Decreta Authentica S. Rit.* C., ed. Rom. 1900, Vol. III. n. 3919. ad XIII.

[4] ibid. n. 3979. ad II.

c) De *monialibus*, *utrum teneantur* ad officium recitandum in choro et quo Breviario et Calendario uti debeant.

α) Si emittant *vota simplicia* dumtaxat, non tenentur ad officium in choro, nisi in Constitutionibus earundem hoc praescribatur. Et hoc valet de his quoque, quae ad Ordines antiquos pertinent, non solummodo de recentioribus.[1]

Si sunt *solemniter professae*, tunc dependet ab earum respectiva Regula. Si nempe ista obligationem hanc imponit, tunc tenentur; alias etiam, vi consuetudinis, uti probati auctores, ad quos S. C. E. E. et R. R. d. 19. Aprilis 1844 refert,[2] dicunt.[3] Quid si nec consuetudo aliquid suppeditat—agitur sc. de congregatione aliqua, quae noviter erecta sumit Regulam aliquam ex jam approbatis, in qua onus chori non imponitur? Non videtur obligari ad hoc onus, quia consuetudo pro ista noviter erecta communitate non potest habere vim aliquam, quam habet pro jam existentibus.

β) *Breviario* et *Calendario* uti debent Ordini propriis, si Ordo habet illa propria, et moniales regularibus sunt subjectae; adeoque officia Sanctorum proprii Ordinis recitare debent. Si non sunt subjectae regularibus, saltem possunt uti, si Ordo proprium Breviarium habet et Calendarium, istis propriis; non autem tenentur iis uti.

[1] *Gury-Ball.* Vol. II. p. 183; *Marc.* II. n. 2194. 3; *Bizzarm*, Coll. p. 497.

[2] *Bizzarri*, ibid.

[3] cf. *Ferraris*, v°. "Moniales," a. 6. n. 1.

2. *De privata recitatione officii divini.*

a) Religiosi *simpliciter professi* ad recitationem officii *non tenentur.* Ita S. C. de Statu Regul. d. 6. Aug. 1858 declaravit.[1]

b) *Solemniter professi,* si juxta eorum Religionem ad chorum sunt destinati, saltem vi consuetudinis *tenentur* ad privatam officii divini recitationem, non vero illi, quorum Religio eos ad chorum non destinavit; hoc certe valet de professis Societatis Jesu.[2]

c) Religiosi *eiecti* et *apostatae,* nisi ratione ordinis sacri vel beneficii teneantur ad recitationem, non videntur obligati ad privatam recitationem.[3]

d) *Regularis* factus *Episcopus* uti debet Breviario dioeceseos cui affigitur—ita communis sententia—cui capellanus eius, etiam regularis, se conformare potest, si cum Episcopo recitat officium.[4]

e) Incipit ista obligatio *a momento professionis solemnis;* unde non tenentur nisi ad horas professionis horae correspondentes, ergo qui mane emittit professionem e.g. hora 6ª, non tenetur amplius ad Matutinum et Laudes, tenetur tamen ad Primam. Communiter dicunt auctores: Prima dicenda est post solis ortum; Tertia, hora nona; Sexta ad meridiem;

[1] *Bizz.* 857.

[2] *Suarez,* de Relig. l. IV. c. 17. n. 4.

[3] *Schmalzgr.* III. 31. n. 248; cf. tamen III. 41. n. 80, ubi affirmativam sententiam tenet et cessationem istius obligationis ad impotentiam moralem restringit—quae utique fere semper adest.

[4] S. R. C. d. 11. Junii 1605 cf. *Tamburini,* t. III. d. III. q. IX. n. 6. p. 28.

Nona, hora tertia pomeridiana; Vesperae, ad solis occasum.[1]

f) *Moniales* tenentur ad privatam officii recitationem, si sunt choro destinatae, alias non.[2]

B. *De celebratione Missae.*

1. Regulares choro obstricti tenentur quotidie in eorum Ecclesiis celebrare *Missam conventualem* de officio currente,[3] non tamen cum cantu (sicut in cathedralibus et Collegiatis), nisi aliunde obligatio oriatur (e.g. ex fundatione), nec cum obligatione applicationis "pro benefactoribus in genere."[4]

2. Non tamen tenentur, nisi id fiat ex consuetudine et eorum constitutionibus, ad duplicem Missam conventualem "in feriis Quadragesimae, IV Temporum, Rogationum et Vigiliarum etiamsi duplex vel semiduplex festum etc. occurrat,"[5] quia ad hoc Cathedrales et Collegiatae tenentur; ecclesiae vero regulares ad istas non pertinent, ut diserte declaravit S. R. C. d. 13. Feb. 1666: "Regulares non tenentur ad plures Missas cantandas, quia non sunt ecclesiae collegiatae, sed appelantur proprie conventuales ab Innocentio IV in Bulla eiusdem 7 Bullarii; et in Clementina Clem. I De

[1] cf. *Piat.* I. 332.

[2] cf. *Suarez,* de Rel. l. IV. c. 2. n. 7. *Schmalzgr.* III. 41. n. 77 sq. addit si consuetudo sit talis, ut praeceptum aequet.

[3] *S. R. C.* d. d. 20. Dec. 1783.

[4] *De Carpo,* Bibl. lit. I. 10; *Wapelhorst,* Caeremoniale, Neo-Eboraci 1887, p. 64.

[5] cf. *Rubricae generales Missalis,* III. 1; *S. Rit. C.* d. 2. Dec. 1891; cf. *Decreta Auth.* Vol. III. n. 3757.

celeb. Miss. ex Concilio Viennensi distinguuntur ecclesiae regulares a cathedralibus et collegiatis, quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus Missis istis."[1] "Missas feriarum, duplicibus aut semiduplicibus occurrentibus, Regularibus non esse vetitas, si a Rubricis praescribantur, dummodo tempus servetur in iisdem Rubricis praescriptum, et choralibus iis assistendi libertas fiat," declaravit S. R. C. d. 2. Dec. 1891 per decretum generale.[2] Notandum etiam decretum eiusdem S. Congregationis d. d. 9. Julii 1895, approbatum a Leone XIII d. 9. Dec. 1895: "Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, Missas quam Sanctorum tum Beatorum, etsi regularium proprias, omnino celebrent officio eiusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere vel votivam vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas rubricae Missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent."[3].

3. *Moniales*, si choro non sunt adstrictae, communis sententia affirmat, non teneri ad Missam conventualem quotidianam,[4] nec teneri applicare pro benefactoribus,

[1] cf. *Piat.* I. p. 325.
[2] *Decreta Authent.* S. R. C. Vol. III. n. 3757. ad III.
[3] ibid. n. 3862.
[4] cf. *Tamburini*, de Jure Abbatis., disp. XV. q. VI. n. 1.

nisi forte ex fundatione.[1] Earum capellanus in Missa dicenda debet se conformare earum officio. Alii sacerdotes, si forte adveniant, item se conformare tenentur calendario monialium, uti S. R. C. expresse declaravit quoad Clarissas civitatis Balagarii in Hispania, d. 14. Januarii 1898.[2]

Verum aliter loquendum est quoad *Sororum* (cum votis simpl.) oratoria sive ecclesias. Nam istae uti debent calendario *dioecesano*, cui omnes, sive regulares sive saeculares conformare tenentur Missam dicendam. Ita S. R. C. d. 17. Julii 1896.[3] Idem valet de gymnasiis, hospitalibus aut domibus piarum communitatum, quae proprium calendarium non habent, et proin calendario dioecesano utuntur. Regularis proin, qui huiusmodi instituto addictus est, tenetur relinquere suum calendarium (quoad Missam) et sequi dioecesanum. Item omnes sacerdotes ibi celebrantes; S. R. C. d. 27. Junii 1896.[4] Demum idem valet quoad domos Episcoporum, Seminaria, collegia etc. Applicari enim debet decretum generale S. R. C d. 9. Dec. 1895 citatum, uti eadem S. C. decl. d. 22. Maii 1896.[5]

[1] *Tamburini*, l. c.

[2] *Decreta Authent.* Vol. III. n. 3972. ad IV.

[3] ibid. n. 3927. ad I.

[4] ibid. n. 3919. ad XVII.

[5] ibid. n. 3910, addidit S. C. "Dummodo agatur de cappella principali (quae instar oratorii publici, ad effectum memorati Decreti, habenda est)."

§ 3. *De obligatione deferendi habitum.*

a) "Monachos oportet ferre *habitum monachalem*," [1] est regula generalis. Hoc tamen proprie valet de illis dumtaxat Ordinibus, qui peculiarem habitum praescribunt ab illo clericorum distinctum.

b) *Dimissio* istius habitus formalis certe *illicita* dicenda est. Est vero formalis quando fit a Religioso eo fine, ut diversum habitum assumendo tanquam Religiosus non agnoscatur. Materialis, e.g. esset quae fit ad dormiendum vel balneum sumendum etc. quae materialis dimissio—nisi Regula respectiva et hanc prohibeat—non est illicita vel peccaminosa.

Dimissio formalis, si temere fiat, *excommunicatione* (nemini tamen reservata) plectitur in Jure can.[2] Quae excommunicatio non videtur sublata Const. Pii IX "Apostolicae Sedis," quia firmas vult manere Pontifex "omnes censuras quorumcunque Ordinum et Institutorum Regularium." Temeraria non est dimissio quando fit ex rationabili causa, e.g. propter necessitatem vitandam infamiam aut scandalum [3] vel consuetudinem.

c) Pro nostra regione *Americae Septentrionalis* nota verba Concilii Baltimorensis III: "Quia ratio legis ecclesiasticae de vestitu clericorum non minus valet de regularibus quam saecularibus, sacerdotes quoque regulares tenentur lege utendi vel collari romano vel vestitu idoneo (breviori, sc. veste, nigri coloris et ad genua

[1] c. 15. X (III. 1).
[2] c. 2. 6° (III. 24).
[3] *Bouix*, II. 587.

producta) ad distinguendum clericos a laicis, quotiescunque seposito habitu sui Ordinis proprio foras prodeunt."[1] Ex quo constat Religiosos in ista regione degentes licite habitum religiosum deponere posse, si extra monasterium prodeunt. Hac tamen consuetudine non eximuntur ab observatione legis gestandi habitum intra monasterii septa (cf. *a* et *b*).

d) *Episcopus regularis* tenetur "sui monastici Ordinis sive alterius regulae mendicantium insignia et propria indumenta lanea suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque coronam" deferre, uti dicitur in Const. Benedicti XIII d. d. 7. Martii 1725.[2] Dispensatur utique aliquando; e.g. cum Em. Primate Hungariae dispensavit Leo XIII f. r. d. 14. Jan. 1892 super lege ista.

e) *Saecularisati ad tempus* possunt ex indulto apostolico vel gestare habitum religiosum, vel saecularem, in quo posteriori casu debent gestare sub vestibus saecularibus partem aliquam religiosi habitus.

Saecularisati in perpetuum, si sunt *presbyteri*, habitum clericalem deferre debent; si sunt tantum clerici vel conversi,[3] habitum decentem "retento interius aliquo sui regularis habitus signo."

[1] tit. II. c. 8. n. 77.

[2] cf. *Santi*, III. 35. n. 13, Vol. III. p. 338.

[3] C. spec. a *Pio VIII* d. 26. Junii 1829 approb.; cf. infra dicenda c. V; ubi de privilegio fori et canonis; cf. *Santi*, III. 35. n. 15.

§ 4. *De quibusdam negativis obligationibus.*

Ad decorem et habitum religiosum sancte et congrue servandum non erit absre aliqua addere, quae ss. canones praescribunt. *Prohibentur* nempe Regulares, partim qua tales, partim qua Clerici ab occupationibus quibusdam.

1° Regulares, per se loquendo, non possunt esse *actores* in judicio (plaintiffs), nisi adsit licentia proprii Superioris. Dixi per se loquendo: nam dantur casus, in quibus admittuntur, quando nempe α) Superior monasterii deliquerit, poterunt religiosi illum accusare, et sustinere quaestionem etiam cum expensis monasterii. Cc. 11. et 26. X (V. 1); intellige coram tribunali ecclesiastico, non vero civili; β) si religiosus persentiat se injuste gravatum ex dispositione Superioris, qua expulsus fuerit aut spoliatus aliquo jure spirituali quod ei competit, e.g. voce activa vel passiva in electionibus, vel jure capitulari, poterit absque licentia Superioris in judicio (ecclesiastico) agere; γ) si religiosus legitime absens, e.g. studiorum causa, a residentia Superioris, laesus fuerit in aliquo contractu necessario vel passus fuerit aliquam injuriam, non indigebit licentia Superioris, ut in judicio adsit; δ) si religiosus administret (de consensu Superioris sui) aliquod beneficium, e.g. praeposituram, prioratum, paroeciam, etc. et quaestio agitatur circa jura vel bona beneficii ipsius, poterit stare in judicio absque licentia Superioris; ε) si urgeat necessitas sistendi in judicio et periculum sit in mora, religiosus agere potest auctoritate propria et nomine

monasterii, impedito vel absente Superiore (licentia praesumpta).[1] Religiosi itidem non possunt agere *partes judicis* eo in casu, quo judicium sanguinis, i.e. sententiam mortis aut mutilationis oporteat proferri.[2] Hoc tamen non impedit quominus Praelati jurisdictionem temporalem obtineant, ita ut sine metu irregularitatis comittere possint aliis causae criminalis cognitionem et decisionem.[3]

2° Religiosi non possunt esse *patrini* (Baptismi et Confirmationis).

3° Prohibetur religiosis *negotiatio* tanquam res privata et distrahens. Duplex distinguitur: propria et impropria. *Propria* negotiatio consistit in habitu emendi res fungibiles aut etiam non fungibiles mobiles ut carius sub eadem forma vendantur, sc. prout sunt acquisitae. *Impropria* est, cum res acquiruntur ut ex industria et labore in aliam formam transmutentur et maioris pretii capaces reddantur. Ista posterior non est interdicta Clericis[4] (quod etiam valet de religiosis, et apud expositos e.g. accidere potest). Propria est interdicta sub excommunicatione latae sententiae[5] nemine tamen reservata, quae adhuc in vigore est: "*Missionari* sive saeculares sive regulares, in Indiis

[1] *Santi*, II. decret. t. I. n. 17, Vol. II. p. 9.

[2] c. c. 5. 9. X (III. 50).

[3] *Santi*, III. 50. n. 2, Vol. III. p. 463. Constat ex historia aliquos Abbates olim "jus gladii" exercuisse, e.g. Abbates Angelomontani in Helvetia.

[4] *Santi*, l. c. n. 3.

[5] c. 6. X (III. 50); quam poenam *Trid. C.* renovavit c. 1. sess. 22. de Ref.

orientalibus, China, Japonia, America sive australi sive septentrionali mercaturae operam dantes aut quovis modo se ingerentes et Superiores immediati ac Provinciales vel Generales Ordinum ac Congregationum, qui subditos etiam unica vice delinquentes, saltem per amotionem a loco commissi delicti non punierint" in excommunicationem incidunt.[1]

Quamvis nemini sit reservata, notanda est declaratio S. C. de Prop. Fide d. 29. Martii 1873 editi, quia istam censuram Ordinariis, quorum interest, notam fecit cum clausula: "Nemo ex his delinquentibus absolvi potest, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris huiusmodi prius restitutis."[2]

Observa sermonem esse de Missionariis proprie dictis. Ergo sicubi Missionarii non amplius sunt, sed *clerus indigenus* adest, ut jam nunc apud nos in America Septentrionali, haec censura *non* amplius incurritur.[3]

4° Inter occupationes quae lenitati clericali adversantur, hic praesertim enumeratur *artis chirurgicae exercitium* propter periculum irregularitatis. Duo semper requiruntur ad licitum istius artis exercitium: legitima causa et licentia Superioris. Legitima causa esset penuria medicorum vel a fortiori eorum deficientia; dein egestas clerici (vel etiam forsitan monasterii, sive expositi missionarii), quae nonnisi honesto lucru ex

[1] Ita Constitutiones Urbani VIII "Ex delicto" 22. Feb. 1633; et Clementis IX "Sollicitudo" 17. Julii 1669; cf. *C. Balt.* III. tit. II. c. VIII. n. 82.

[2] A. S. S. VII. 317.

[3] Ita probabiliter cum *Irish Record* 1887, p. 1129, et *Nouveau Revue Théol.* XVII. p. 56.

arte medica percipiendo levari possit. Licentia hic intelligitur Summi Pontificis, quae requiritur etiam pro eis qui in saeculo artem istam antea exercebant. Notatu dignum est rescriptum, quod S. C. C. d. 16. Feb. 1884 direxit ad monachum O. S. B. in conventu Montis Serrati (Hispaniae): "Pro gratia ad quinquennium dummodo exerceatur gratis et absque ustione et incisione (id quod Abbas pro monacho illo petierat) facto verbo cum Ssmo."[1] *C. Balt.* III. haec habet: "Medicinam et chirurgiam nec lucri gratia nec charitatis specie exerceant."[2]

5° *Quae offendunt dignitatem sacerdotalem,* sunt sequentia:

a) tabernas adire,[3]

b) ludis theatralibus interesse nec non equorum cursibus (horse-races),[4]

c) ludi alearum et taxilli et in genere omnes, quorum eventus magis a fortuna quam ab industria pendent.[5] Quae omnia clericis, et proin religiosis quoque prohibentur.

§ 5. *De Clausurae obligatione.*

Nomine clausurae venit totum illud spatium quod muris seu septis monasterii clauditur, i.e. cellae, officinae, caenaculum, coquinae, dormitorium, infirmeria et talia

[1] *Santi,* III. 50. n. 1; Vol. III. p. 462.

[2] tit. II. c. VIII. n. 82. et refert—tum clerum universum tum religiosos—ad *Bened.* XIV de Synodo dioec. l. XIII. c. 10.

[3] cf. Conc. *Baltim.* III. tit. c. VIII. n. 80.

[4] ibid. t. II. c. VIII. n. 79.

[5] *Santi,* III. I. n. 19, Vol. III. p. 7.

huiusmodi.[1] Viridaria seu prata vel etiam horti, si a clausura sint separata clavi vel muro convenienti, non comprehenduntur nomine clausurae.[2] Sacristia enumeratur inter partes clausurae, si sit aditus a monasterio ad ipsam, non vero si unicus sit aditus ex ecclesia.[3] Porro semel imposita clausura non potest a Superiore ad arbitrium variari; sed semel impositam retineat. Hoc autem intellige quoad clausuram necessaria, v.g. claustrum interius, dormitorium ad quod pertinent corridoria, refectorium aliasque interiores officinas. Quoad alias partes pendet a Superioris arbitrio.[4] His in genere dictis de clausura, jam de illis, qui istam custodire et religiose servare tenentur. Primo loquemur de clausura virorum, dein monialium. Utrinque duplice capite loquendum est tum de egressu Religiosorum tum de ingressu aliorum.

A. *De Clausura virorum.*

1. *De egressu Religiosorum.* Notum est illud: "Sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus."[5] Sane Conc. *Tridentinum* statuit: "Nec liceat Regularibus a suis conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum

[1] *De Angelis*, III. tit. 35. n. 7. t. II. P. II. p. 186. *Ferraris* "Conventus," a. 3. n. 9.
[2] *Ferraris*, l. c. n. 10.
[3] ibid. n. 14; *Reiffenstuel*, III. 35. n. 27; *De Angelis*, l. c.
[4] *Piat.* I. p. 345.
[5] c. 8. C. 16. q. 1.

tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur."[1] Observa sequentia:

a) Religiosis *illicitus* est, generatim loquendo, *exitus extra monasterium* absque Superioris licentia. Aliquando utique ista licentia non requiritur vel potius tanquam praesumpta haberi potest, e.g. si fit egressus ad breve tempus diei (e.g. 1 hora), vel etiam noctis, si fit ex causa vel charitatis vel necessitatis, etiam non extremae, e.g. administrandi sacramenta graviter aegrotantibus vel defendendi proximum,[2] si forsitan in loco vicino lis nocturna exorta fuerit.

b) Necessaria est *licentia legitimi Superioris* monasterii, cuius benedictio est petenda. Superior vero non debet dare istam licentiam absque causa, sicut religiosus non potest exire absque causa.

c) Ista licentia est *singulis vicibus* petenda; non valet generalis, quae omnino prohibita est.

d) Requiritur ex decreto Clementino "Nullus omnino" ut socius detur ad nutum Superioris, non egredientis religiosi. Observatio huius legis quoad socium apud plures religiones sensim in desuetudinem abiit; quia pluribus in casibus cum magna tantum difficultate fieri potest, ut socius detur. Nunc vero dispersis religiosis est frequentissime moraliter impossibilis.

[1] c. 4. sess. 25. de Ref.; cf. Const. Clem. VIII "Nullus omnino" d. 25. Junii 1599.

[2] cf. *Suarez*, de Relig. t. XVI. ed. Paris 1860, l. I. c. 6. n. 11. p. 39.

Ceterum Clemens VIII statum ordinarium et tranquillum supponit et loquitur de religiosis in conventu habitantibus.[1] Hisce addi potest, praesertim quoad nostram regionem, status missionarius et penuria plerumque sacerdotum religiosorum.

e) Lex Tridentina respicit *Ordines* tantum *formales* cum votis solemnibus, quocirca si quaestio fiat de obligatione Congregationum cum votis dumtaxat simplicibus, ista obligatio erit metienda vel ex eorum Constitutionibus vel consuetudine.[2]

f) Non incurrit notam apostasiae vel fugitivi, imo licite agit religiosus, qui a suo Superiore notabiliter gravatus, absque eius licentia, quam certe non nisi frustra aut non nisi cum timore maioris gravaminis peteret, exit e domo et recta via pergit ad mediatum Superiorem, a quo possit sublevari. Ratio est, quia cuique licet se defendere, et haec est appellatio ad legitimum Superiorem, quae religioso injuste oppresso licet. Nec obstat lex Trid. cit., nam haec de discessu ex levi vel irrationabili causa intelligenda est, ut ipsa locutio "sub praetextu" monet, nec praesumendum est, voluisse Patres Tridentinos adimere miseris religiosis tam necessarium remedium justae defensionis, quae jure naturae omnibus competit.[3] "Expediret, ait Ferraris, ut prius ipse recurrens peteret facultatem a Superiore gravante adeundi maiorem Superiorem: et

[1] *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol. Moral. IV. n. 158. p. 92.
[2] ibid. p. 93.
[3] *Ballerini-Palmieri*, IV. p. 149. n. 245; *Bouix*, II. 507. *Benedict. XIV*, de Synod. dioec. l. XIII. c. 11. n. 14.

tali facultate sic negata, peteret testimoniales epistolas a testibus fide dignis de petita et sibi denegata facultate." [1] Ceteroquin plerumque in Constitutionibus (sive etiam Regulis) providetur de modo appellandi ad aliam instantiam.[2]

g) Inquirunt hic D.D., *α*) *qualis sit obligatio* clausuram servandi et *β*) ex quonam capite oriatur ista obligatio.

α) Communiter dicunt auctores obligationem per se esse *gravem*, admittunt tamen ob parvitatem materiae casus, in quibus veniale tantum esset peccatum violandi istam legem, e.g. si religiosus per januam communem (sine licentia) exeat, more solito paulo rediturus;[3] idque verum est, si pluries exeat.

β) Ista obligatio directe videtur repeti ex *voto castitatis* servandae, quia hic est finis clausurae,[4] quamvis per accidens possit repeti ex jure Superioris gubernandi, custodiendi subditum eoque utendi, quod laeditur per tales exitus licentia destitutos.[5]

h) "Contravenientes huic legi clausurae poena gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur," uti dicit decretum cit. Clementis VIII.

2. *De ingressu aliarum personarum in claustra.*

Quia non extat lex de non ingressu vel admissione virorum extraneorum intra septa monasterii prohibitiva, dicenda non est eorum ingressio et admissio prohibita.

[1] v°. "Apostasia," n. 29.

[2] cf. Constitutiones *Helveto-Americ. Congr.* O. S. B. approb. a Sede Apost. d. 9. Feb. 1901, ad c. 25.

[3] *Bouix*, II. 592; *Suarez*, de Rel. t. XVI. l. I. c. VI. n. 9.

[4] *Ballerini-Palmieri*, t. IV. p. 92. n. 158.

[5] *Suarez*, l. c. n. 8.

Et generatim auctores de ingressu mulierum tantum loquuntur quando tractant istam materiam. Ex jure naturali, mediocris saltem admissio et absque scandalo facta, non est prohibita. Hinc ista lex erui debet ex lege ecclesiastica positiva. Sunt vero praesertim Constitutiones *Pii V* "Regularium personarum" d. d. 24. Oct. 1566; "Decet Romanum Pontificem" d. d. 16. Julii 1570; *Gregorii XIII* "Ubi gratiae" d.d. 3. Jan. 1582, quae materiam praesentem determinant:

a) *Mulieres omnes* cuiuscunque conditionis, gradus, ordinis sint, excluduntur a clausura, exceptis solis imperatricibus et reginis earumque filiis, et aliis feminis illas comitantibus.[1] Item possunt ingredi monasteria virorum ducissae, fundatrices aut insignes benefactrices, tum consanguineae aut affines eorum, qui sunt domini temporales regionis dummodo privilegium Pontificium "per Apostolicas in forma Brevis vel sub plumbo desuper expeditas litteras" habeant, et "non aliter omnino factas et impertitas, et prius Ordinariis locorum Antistitibus, per legitima et authentica documenta constare fecerint," uti Benedictus Const. c. expresse dicit et hac in re Constitutiones Pii V et Gregorii XIII mitigavit.

b) *Poena in contravenientes mulieres* est excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservata; sed non incurrunt istam poenam puellae impuberes.[2]

c) *Poenam istam incurrunt religiosi omnes*, quocunque

[1] cf. *Pirhing*, III. 35. n. 45.

[2] Ita *Santi*, l. III. tit. 35. n. 29, Vol. III. p. 347.

officio vel quacunque dignitate sint praediti, sive Superiores sive religiosi absque officio, quicunque introducunt mulieres vel alio modo ad earum ingressum efficaciter cooperantur;[1] insuper taliter agentes religiosi incurrunt ipso facto poenam privationis officiorum quae habent, inhabilitatem ad ipsa et suspensionem a divinis. De hac tamen suspensione tacet Const. "Apostolicae Sedis," quamvis inter excommunicationes simpliciter reservatas R. Pontifici sub n. VII recenseat excommunicationem contra "Superiores aliosque eas (mulieres) admittentes"[2] et proin sublata merito censeri potest. Non ita aliae poenae.[3] Incurrunt vero religiosi istam poenam secundum totam extensionem quando feminae ingrediuntur "sub praetextu privilegiorum," uti habetur in Constitutionibus c.c. At vero, quando agitur de femina, quae "absque praetextu privilegiorum" ingreditur vel admittitur a religiosis, controvertitur—vel saltem controvertebatur—utrum et illa excommunicationem incurrerit.[4] Diximus "controvertebatur." Nam recentiores canonistae, et in specie, commentatores Constitutionis "Apost. Sedis" generatim dicunt omnes feminas ingredientes clausuram virorum religiosorum, sive sub sive absque "praetextu privilegi-

[1] *D'Annibale*, Comment. in Const. "Apost. Sedis," ed. 4. Prati, 1894, p. 86.

[2] *Santi*, l. c.

[3] *D'Annibale*, ibid.

[4] cf. *Suarez*, de Relig. l. I. c. VII. n. 7 et n. 9; *Schmalzgr.* l. III. tit. 35. n. 131; *Engel*, l. III. tit. 35. 13; *Reiffenst.* l. III. tit. 35. nn. 73–77.

orum" incurrere excommunicationem, quia nulla distinctio adest in dicta Constitutione.[1]

d) Feminae cum reliquo populo, quominus clausuram religiosorum ingrediantur *ad sequendas processiones* associandum ss. sacramentum, assistendum sepulturae fidelium et audiendum verbum divinum, si fiat intra clausuram, prohibentur omnino; ex Const. Bened. XIV cit.

e) Demum adnotanda sunt aliqua:

α) Religiosi, qui *non* influunt *efficaciter* ad admissionem vel introductionem, sed feminas jam introductas ex urbanitate alloquantur, praesertim si hoc faciat ut honeste et per viam breviorem illas e conventu educant, non incurrunt poenam.[2]

β) *Fratres laici*, qui vota solemnia non emittunt, videntur istis poenis non subjecti, quippe cum Constitutiones de religiosis cum votis solemnibus dumtaxat loquuntur.[3]

γ) Feminae hic intelliguntur—si excipias illas sub *a*) nominatas—*omnes* etiamsi sint fatuae et mentis impotes (hoc ult. utique quoad poenam dumtaxat, quae respicit religiosos) et etiam illae, quae intraverunt eo tempore, quo nullus religiosus intus erat.[4]

[1] cf. *Piat.* I. p. 357. Nota adhuc ingressum debere esse completum, i.e. cum toto corpore, non solummodo cum pede uno; dein non requiri malum finem ad excom. incurrendam; id. l. c.

[2] *Ferraris*, "Conventus," a. III. n. 32; *D'Annibale* in "Apost. Sedis," p. 86.

[3] *D'Annibale*, l. c. p. 85; *Piat.* I. 360.

[4] *D'Annibale*, l. c.

δ) Tandem haec omnia intellige de *conventu formato*, sc. plene constructo et ad habitandum proxime praeparato (e.g. benedicto), non vero de conventu non formato vel non constructo.

ε) Quae dicta sunt, non debent applicari nisi *Ordinibus formalibus*, non vero Congregationibus.[1]

B. *De Clausura Monialium.*

Graves sunt leges circa hanc rem et penetranti ipsas videntur tales, quales circa nullam aliam rem in jure Regularium habentur. Breviter tamen rem expendemus, quia hac in nostra regione fere nullum monasterium habetur, quod gaudeat clausura stricte sumpta seu papali.

a) *Bonifacius VIII* (1294–1303) clausuram strictam imposuit monialibus, ita ut ab illo praesertim tempore lex clausurae secundum totum suum rigorem invaluerit.[2]

b) Istam legem renovavit *Tridentinum*,[3] quod statuit:

1. Episcopus obligatur sub gravi, ut procuret et observationem clausurae ubi jam observatur, et restitutionem ubi fuerit violata.

2. Episcopus hac in re potest procedere propria auctoritate in monasteriis sibi subjectis, auctoritate Apostolica in exemptis.

3. Episcopus potest contra inobedientes et con-

[1] *D'Annibale*, l. c. p. 85.
[2] c. 1. 6. (III. 16).
[3] c. 5. sess. XXV. de Ref.

tradicentes moniales censuras et alias poenas decernere, quacunque appellatione postposita.

4. Nulla ex monialibus potest egredi post professionem e monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda.

c) Huc accedunt Constitutiones S. Pii V "Circa pastoralis" d.d. 29. Maii 1566, "Decori" d. d. 1. Feb. 1570; Gregorii XIII "Ubi gratiae" d. d. 13. Junii 1575; Benedicti XIV "Salutare" d. d. 3. Jan. 1742.

d) Demum Pius IX Const. "Apostolicae Sedis" statuit poenam excommunicationis latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatae contra "violantes clausuram Monialium cuiusque generis aut conditiones, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione 'Decori' praescriptam."[1]

Hic quoque agemus prius de egressu monialium et dein de ingressu extraneorum in earundem clausuram.

1°. *De egressu Monialium extra clausuram.*

1. Distinguenda est clausura *papalis* ab episcopali. Illa a Papa tantum potest imponi et quidem iis tantum monialibus imponitur, quae emittunt vota solemnia. *Episcopalis* ab Ordinario imponitur iis monialibus, quae vota dumtaxat simplicia emittunt. Hic respicimus ad clausuram papalem, quae regula generali facile non comprehenditur.

[1] tit. II. n. VI.

2°. "Extra casus ac formam a S. Pio V in Const. 'Decori' praescriptam" omnis egressus cuiuscunque monialis (cum votis solemnibus et clausura papali) prohibetur.

a) *Casus*, ex Const. Pii V "Decori" sunt: magnum incendium, infirmitas leprae aut epidemiae. Porro auctores adnumerant hisce casibus alios: imminens bellum, inundationem fluminis, ruinam aedificii et simile periculum.[1] Silet tamen Const. Pii V cit. his de casibus. Nomine epidemiae non solum venit pestis, sed omnis morbus contagiosus (e.g. typhus, febris flava (yellow fever)), quo aliqua monialis laborat.[2] Unde monialis ne alias inficiat egredi potest e monasterio.

b) *Formam* quod attinet, ista respicit *licentiam Episcopi*, quam hic (vel Vicarius Generalis, et sede vacante Vic. Capitularis[3]) in scriptis det oportet etiam in monasteriis exemptis, ita ut licentia Superioris Regularis monasterii non sufficiat, sed cum Episcopi licentia concurrere debeat.[4] Hoc certe valet de casu infirmitatis. Caute utique notant auctores quodsi periculum sit in mora et Superiores distent, hanc

[1] Ita *Ferraris*, "Moniales," a. III. n. 28, quem sequitur *Bouix*, II. 609 sq.; cf. tamen *Santi*, III. 35. n. 19, Vol. III. p. 342, qui dicit 3 illos casus (sc. Pii V) non taxative sed demonstrative intelligendos esse juxta praxim S. C. E. E. et R. R. i.e. in caeteris casibus semper requiritur licentia S. Sedis, ita ut ne immemorialis consuetudo contraria suffragetur, uti S. C. Inquis. d. 22. Dec. 1880 declaravit. cf. *De Angelis*, III. tit. 35. n. 7.

[2] Ita S. C. E. E. et R. R. mense Sept. 1730. cf. *Bizz.* p. 311.

[3] *Ferraris*, "Mon." a. III. n. 32.

[4] *Santi*, III. 35. n. 19.

licentiam non requiri.[1] Quod satis apparet in incendio.

3°. Extra hos casus et hanc formam, si quae monialis egreditur, "excommunicationem latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatam" incurrit.[2] Ab hac censura Episcopi (huius regionis saltem) absolvere possunt vi quinquennalium facultatum.[3] Porro hodie Superiores, qui dant monialibus licentiam egrediendi (intellige in casibus Const. "Decori" non contentis), item comitantes, recipientes personae, item moniales egressae, quae definito eis tempore non revertuntur, non incurrunt excommunicationem, quia Const. "Apost. Sedis" de his omnino silet.[4] Manent tamen quoad Superiores dantes licentiam (sc. Episcopum et Regulares) poenae ipsis statutae: privatio dignitatum et officiorum et inhabilitas in posterum ad ea obtinenda,[5] sed non incurrunt istas poenas nisi post criminis saltem sententiam declaratoriam.[6]

4°. Si monialis quaedam ex alia, quam citatis causis tribus, causa velit exire e monasterio (praesertim e.g. ad fundandum vel regendum aliud monasterium, vel balneis utendum mittitur) requiritur specialis Aposto-

[1] *Bouix*, II. 610. Hodie utique telephono possent uti. Sed cum in scriptis detur oportet licentia, non teneri videntur ad tale medium.

[2] "Apost. Sedis," t. II. n. 6.

[3] cf. facultates a S. C. Prop. concessas Form. I. Art. XVI. *Putzer*, Comment. 1898, p. 226.

[4] *D'Annibale*, Comment. p. 84.

[5] ibid.; *De Angelis*, III. 35. n. 7. II–II. 190

[6] *Piat.* I. 387.

licae Sedis licentia uti constat e decreto S. C. E. E. et R. R. d. 22. Dec. 1617.[1]

2. *De ingressu in clausuram Monialium.*

1°. Prohibitio ingrediendi clausuram monialium in hoc consistit, quod *nemo* sive vir sive femina absque peccato mortali et poena excommunicationis ipso facto incurrenda, clausuram monialium ingredi possit nisi legitimam habeat causam et licentiam ab iis, qui illam concedere possunt. Unanimis per clara jura.[2]

2°. *Excipiuntur* ab hac universali prohibitione:

a) Puellae et pueruli, qui *usum rationis non habent*, quibus non sunt comparandae fatuitate laborantes; istis siquidem prohibetur ingressus, si annos pubertatis excesserunt.

b) Puellae *educationis causae* de licentia S. Sedis, quae implicite data intelligitur in approbatione instituti monialium educationi inservientium.[3]

c) *Imperatores* et *imperatrices*, reges et reginae earumque filii et filiae cum decenti comitatu, qui comitatus stricte non potest determinari; melius attenditur ad consuetudinem loci et monasteriorum.[4] Hac personae non sunt prohibitae ab ingressu in clausuram monialium.

3°. Dantur et alii *casus*, in quibus, certis sub conditionibus, licitus est ingressus. Hi fere sunt:

[1] *Bouix*, II. 610 sq.

[2] *Reiffenstuel*, III. 35. n. 38; cf. textos citatos superius.

[3] *Santi*, III. 35. n. 24, Vol. III. p. 343. Sunt conditiones quaedam; cf. *Reiffenst.* III. 35. n. 41.

[4] *Reiffenstuel*, III. 35. n. 46.

a) *Episcopus,* item *Regularis Superior* visitationis causa vel alia quadam urgente (quae tamen raro adesse videtur, e.g. si in electione Superiorissae timeretur factio vel collisio.[1]) At Praelatus regularis semel tantum in anno visitationis causa, quae finienda est intra solis ortum et occasum unius diei, clausuram ingredi potest. Si pluries, agere debet cum Episcopo hac de re, ac persona ecclesiastica est ab eodem (Superiore) deputanda.[2]

b) *Confessarii* sive ordinarii sive extraordinarii possunt ingredi solummodo ad conferenda Sacramenta infirmis monialibus vel ad animae commendationem et debent secum adducere socium maturae aetatis et probatae vitae, si confessarius sit ex regularibus.[3] Ob alium finem, nec sub praetextu sepulturae tradendi cadaver alicuius monialis, queunt ingredi.[4]

c) Ratione necessitatis possunt, ex sola Abbatissae licentia, clausuram ingredi *medici,* chirurgi (surgeons and dentists), *operarii* (sartores, non vero sutores)[5] et opifices, hortulani non suspecti, famulae saeculares; semper tamen adhibitis cautelis e.g. ut eligantur viri probati tam aetate quam bonis moribus,[6] neve com-

[1] *Reiffenstuel,* III. 35 n. 64. Superior debet secum ducere 2 Regulares socios; non potest alteri delegare visitationem ex "Felici."

[2] Const. Alex. VII "Felici," d. d. 20. Oct. 1664; cf. Santi l. c. n. 25.

[3] Si est saecularis, sine socio, sed stola et superpellicco indutus. S. C. C. d. 13. Sept. 1583. *Ferraris,* "Moniales," V. 36.

[4] *Santi,* l. c.

[5] *Reiffenst.* III. 35. n. 53.

[6] S. C. E. E. et R. R. d. d. 20. Nov. 1584.

morentur intra clausuram ante solis ortum neve post occasum.[1]

4. Istis exceptis, *omnes violantes clausuram monialium* cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. simpliciter reservatam.[2] Ex quo sequitur:

a) Ingredientes, sc. illi, qui non solum pedes ponunt intra clausuram, sed ibi aliquantulum consistunt[3] cuiuscunque conditionis, etiam dignitate cardinalitia fulgentes, Legati, Nuntii etc. incurrunt excommunicationem.[4] Introducentes e.g. januam aperiendo, invitando etc., non vero qui extra clausuram auxilium praestant ut introducantur.[5] Admittentes intelliguntur Superiorissa (Praefecta) et Ostiaria, quarum proprium est aliquem admittendi; non vero aliae.[6]

b) *Licentia* in monasteriis S. Sedi subjectis datur ab Episcopo, tanquam delegato,[7] in monasteriis Episcopo subjectis ab eodem ordinaria potestate[8] in monasteriis regularibus ab Episcopo simul cum Praelato regulari, ut constat ex decreto Urbani VIII d. d. 13. Nov. 1620.[9]—

[1] *Santi*, l. c.
[2] "Apost. Sedis," II. n. 6.
[3] *D'Annibale*, Comment. p. 83.
[4] *Santi*, III. 35. n. 24; cf. Const. Bened. XIV "Salutare" d. d. 3. Jan. 1742.
[5] *D'Annibale*, l. c. p. 83.
[6] ibid.
[7] *Piat.* Mont. I. 376.
[8] ibid.
[9] cf. *Santi*, III. 35. n. 22; III. 343.

Licentia in scriptis danda esse videtur, quamvis hac de re non est unanimis auctorum (et praecipue in "Apost. Sedis" Const. commentatorum) sententia.[1] Danda est ista licentia toties quoties opus fuerit; potest tamen Episcopus committere Abbatissae vel Confessario facultatem concedendi licentiam ingrediendi.[2] Concedere potest licentiam etiam Vicarius Capitularis et Vic. Generalis, si quoad id habeat speciale mandatum.[3]

C. *De accessu ad Moniales.*

1. *Nomine accessus* ad moniales intelligimus illum qui fit a persona clausurae earundem extranea eas visendi et alloquendi gratia.[4]

2. Bonifacius VIII an. 1298 istum accessum sive personae inhonestae sive honestae, nisi ex rationabili causa et de legitima licentia *prohibuit,* quin tamen aliquam determinatam poenam contravenientibus statuerit.[5] R. P. P. Sixtus V decreto S. C. E. E. et R. R. d. 7. Maii 1590 et Urbanus VIII d. 20. Nov. 1623 idem statuit additis poenis pro regularibus. Distinguendum ergo est inter personas accedentes.

3. Quoad personas *saeculares,* sive laicos sive clericos, notanda sunt sequentia:

a) Non prohibentur ab accessu Superior monialium, visitator, confessarius tum ordinarius tum extraordi-

[1] *Piat.* I. 377; *D'Annibale,* p. 84, negat.

[2] *D'Annibale,* l. c; *S. Alphons Lig.* VII. 223.

[3] *Bouix,* II. 614.

[4] cf. *Ferraris,* "Moniales," a. IV. n. 3. Scribere ergo non pertinet ad accessum.

[5] c. 1. 6°(III. 16).

narius, tempore, quo munere suo funguntur; prohibentur vero si munere non funguntur.[1]

b) Non prohibentur saeculares in primo aut secundo gradu monialibus conjuncti, i.e. monialis filii, pater et mater, fratres et sorores, diebus non prohibitis, i.e. extra Adventum, Quadragesimam, feriam sextam, sabbatum, vigilias et dies festos.[2] Haec cognatio naturalis non suffragatur religiosis proprie dictis quoad visendas cognatas moniales.

c) Non prohibentur *mendicantes* ostiatim[3] et ex opposito famuli et famulae eleemosynas et munera dominorum ad moniales deferentes.[4]—His exceptis omnes omnino personae sive Episcopi,[5] sive Canonici et Praelati, etc. prohibentur ab accessu nisi ex rationabili causa et de legitima licentia.

d) *Licentia* danda est *ab Episcopo* (respective et a Praelato Regulari) uti supra de cl[illegible]ura. Episcopus licentiam potest concedere Confessario, si domus eius sit nimis distans, ut per telephonum (respective) in casu necessitatis vocetur, dummodo "in actu advocandi per enuntiatum medium vicarium (sc. telephonum) duae adsint ex probis et senioribus monialibus quae verba audiant."[6]

[1] Const. "Sacrosancti" Alexandrii VII; cf. Piat. I. 393. nota [10] *f*

[2] cf. decr. cit. Urbani VIII; *Ferraris*, "Mon." IV. 8–10.

[3] *Ferraris*, l. c. n. 37.

[4] ibid. n. 38.

[5] Hos excipiunt aliqui auctores, sed generale est mandatum Bonifacii VIII, uti Bened. XIV Const. "Gravissimo" declaravit; cf. *Piat.* Mont. I. 392 sq.

[6] S. C. E. E. et R. R. d. 20. Martii 1895.

Qui violant istam legem, juxta communem doctorum sententiam, peccant graviter, saltem ordinarie. Admittunt nempe aliqui auctores parvitatem materiae,[1] quam alii negant posse admitti.[2] Potest Episcopus hunc casum sibi reservare, imo et excommunicationem ipso facto incurrendam decernere.[3]

4. Quoad *Regulares*[4] strictior est prohibitio et poena:

a) Absque licentia Ordinarii, quae quater tantum in anno extra tempus vetitum (cf. 3, *b*) danda est, et a Praelato regulari subscribenda (saltem quoad moniales regularibus subjectas) religiosus alloquens moniales vel personas alias sub clausura earundem degentes (e.g. puellas), incurrit poenam privationis officiorum ac vocis activae et passivae, etiam unico accessu et brevissimo.[5] Excommunicationem non incurrit amplius, quia in Const. "Apost. Sedis" nihil hac de re continetur, nisi forsitan Ordinarius statuerit excommunicationem.

b) "Regulares Confessionarii et Superiores seu Visitatores si alloquuntur moniales extra praecisam officii sui necessitatem, incidunt in poenam nominatam . . . licet non alloquantur ob malum finem."[6] Hoc utique

[1] *Ferraris*, a. I. n. 4. sq.; *Bouix*, II. 616.

[2] *Piat.* Mont. I. 391.

[3] *Bouix*, II. 616.

[4] Non tamen applicanda sunt, quae dicuntur, S. J. et Capuccinis in Germania et Helvetia. S. C. E. E. et R. R. d. d. 1. Maii 1592; cf. *Piat.* Mont. I. 390.

[5] *Bouix*, l. c. 617; *Piat.* I. 398.

[6] *Ferraris*, "Moniales," a. IV. 57.

videtur nimis rigidum et forsitan sublatum posset censeri.

c) Poenam istam etiam incurrit religiosus, qui ad concionandum monialibus ad crates missus, post praedicationem peractam illas alloquitur absque licentia.[1] Ista sunt quae clausuram tangunt quoad essentialia.

[1] *Bouix*, II. 618.

CAPUT V.

DE REGIMINE REGULARIUM AD INTRA ET EXTRA.

Postquam consideravimus statum religiosum tanquam in se existens corpus morale absque intrinseca relatione ad caput, jam restat ut loquamur de interna constitutione, quae completur per auctoritatem legitime stabilitam. Jam vero *historice* constat omnes fundatores sive singulorum monasteriorum, sive totius alicuius Ordinis constituisse aliquem, cui totum subiciebatur corpus. Porro primis monachatus temporibus Superiores singularum domuum vocabantur *Abbates* (hegemones), quorum officium indicabat nomen. Abbas taliter constitutus fere illimitata gaudebat auctoritate in suos, siquidem spiritus et votum obedientiae hanc plenitudinem prae se ferre videbantur.[1] Proin longe a veritate non esset, qui diceret regimen singulorum monasteriorum fuisse simpliciter monarchicum,—si ita loqui fas est quoad societatem imperfectam. Episcopus utique eo tempore magnas habebat partes in monachatus institutione et constitutione, uti infra patebit ubi de

[1] S. *Benedictus*, Regula c. 3. loquitur de consilio adhibendo; verum Abbas non tenetur hoc consilium sequi. Proin putamus non recte loqui *Tamburini*, de Jure Abbat. III. d. I. 9. II. n. 1, si ex hoc consilio erui posse putat regimen monarchico-aristocraticum.

exemptione. Temporis lapsu et praesertim influxu juris canonici, benevole pervadente Ordines quoscunque factum est, ut regimen istud pure monarchium cederet monarchico-aristocratico, quod hodie plus minusve viget in omnibus fere Ordinibus, imo et congregationibus. Quae forma omnino congrua dicenda est rationi status religiosi et conceptibus regiminis modernis. Quod unus praesit caeteris—unus dico sive per modum unius plures praesint, sive actu unus—requirit notio societatis. "Impossibile est humanam communitatem sine gubernatore existere."[1] Verum societas talis est imperfecta, homogenee dependens a suprema, scilicet Ecclesia. Dependet namque tum quoad finem tum quoad media ad istum ab Ecclesia. Propterea Caput istius est etiam caput Ordinum religiosorum. Et quia in supremo capite residet universalis et plena potestas, inde est quod *potestas* capitibus Ordinum religiosorum concessa vocatur *participata.* Potest namque ille qui suprema et plena potestate in aliqua societate gaudet,—Summus Pontifex—pro plenitudine suae potestatis partem istius aliis communicare; aliis restringere, si jam certa quadam praediti fuerunt. Unde regula Juris 68 in 6° "Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum," potest et hic adduci. In ista participatione porro potestatis quaerendus est fons totius potestatis Superiorum Ordinum. Si forsitan obicitur potestatem dominativam pertinere ad essentiam status religiosi ita ut absque illa non possit consistere, statum vero religiosum qua talem non dependere

[1] *Suarez,* de Religione, l. II. c. 1. n. 1; tom. XVI. p. 78.

a Summo Pontifice, responsum in promptu est: Quamvis forsitan status religiosus in abstracto non dependeat a Summo Pontifice, tamen omnes Ordines quicunque, qui formant statum religiosum in concreto, dependent omnino a Principe summo S. Matris Ecclesiae, absque cuius consensu tacito nunquam extiterunt et absque cuius approbatione formali hodie amplius existere nequeunt.

Potestas ista participata a Summo Pontifice Superioribus Ordinum *distinguitur triplex:* dominativa, jurisdictionalis, et coërcitiva. *Dominativa* potestas, seu simplicis regiminis, est jus dirigendi subditos religiosos—imperando et utendo illorum operibus—ad bonum et finem Ordini communem et communitati proprium.[1]

Jurisdictionalis est jus dirigendi subditos in Ordine ad vitam aeternam a Christo Ecclesiae traditum et ab Ecclesiae Capite religiosis Superioribus communicatum, pertinens proin ad claves Ecclesiae.

Coërcitiva[2] seu executiva (judiciaria et punitiva simul sumpta) nihil aliud est quam efficax et aptis mediis instructum harum potestatum exercitium. Prior et ultima omnino pertinent ad statum religiosum in concreto, nisi obedientiae voto illudere velimus. Jurisdictionalis vero potestas non requiritur ad esse status

[1] cf. *Suarez,* de Relig. l. II. c. 18. n. 5.

[2] Coërcitivam vocat *Craisson* potestatem "vi voti," n. 2983. Hoc tamen potest etiam dici de dominativa. Nam voto sublato (de religioso loquimur), quidnam potestatis remanet Superiori? Utique intelligimus traditionem sui inclusam. At ista traditio virtualiter includitur in votis.

religiosi, nam sine illo et concipi potest et extitisse et existere apparet; alias quid de monialibus?[1]

Verum non potest negari *ad melius esse* Ordinum etiam *jurisdictionalem potestatem* quasi requiri, praesertim si Ordines sunt exempti a jurisdictione episcopali, "quia eo ipso quod Religio a jurisdictione Episcoporum eximitur, manet immediate subjecta solius Pontificis jurisdictioni. Non poterat autem convenienter gubernari immediate per solum Summum Pontificem aut per delegatos ab ipso."[2] Unde etiam jurisdictio concessa est Superioribus Ordinum, sive ratione exemptionis sive privilegio in forma specifica.

Tales Superiores vocantur *Praelati* propter dignitatem, praeeminentiam et praesertim propter jurisdictionem.[3] Unde in Ordinibus dumtaxat exemptis veri nominis Praelati inveniuntur. Distinguuntur vero Praelati infimi, medii et supremi gradus, prout alios Praelatos supra, vel supra et infra, vel nullos supra se habent.[4] Variis etiam nominibus vocantur Praelati:

[1] Quoad moniales viget controversia, utrum capaces possint evadere vi privilegii papalis ad jurisdictionem obtinendam. Nam de facto constat Abbatissas quasdam actus jurisdictionales, e.g. beneficia conferendo exercuisse. Verum aliqui dicunt illos actus immediate procedere a Papa, et mediate dumtaxat ab Abbatissis, quae conditionem tantum ponunt, ut privilegium concedatur. Alii revera actus jurisdictionales eas posuisse dicunt. Quidquid sit de hac controversia, certum est, talem jurisdictionem illis competere nec propter statum religiosum (votum praesertim obedientiæ) nec propter exemptionem, si qua gaudent.

[2] *Suarez*, l. c. l. II. c. 1. n. 6.

[3] *Bouix*, l. c. II. 407.

[4] *Suarez*, l. c. l. II. c. 2. n. 1 sq.

Generales, Provinciales, Abbates[1] (Praepositi, qui interdum sunt generales, aliquando locales, vel Rectores), Guardiani. Harum potestas interdum est *temporalis*, interdum vero *perpetua*, prout in Regulis vel Constitutionibus determinatur. Quoad Abbates dicendum est eos ad mentem juris communis esse potius perpetuos, quamvis circumstantiae locorum et temporum aliter requirere possint.

His in genere de genere de regimine et constitutione potestatis ordinum dictis, jam quaeramus I° de regimine ad intra et II° de regimine ad extra.

I. DE REGIMINE AD INTRA.

Dictum est supra, regimen ordinis vel etiam domuum singularum communiter residere in uno. Unde et *subjectum* regiminis potest vocari. Ipsi vero competit varia potestas circa actus et res diversas; proin loquendum est de *objecto* regiminis. Huic duplici quaestioni adnectemus eam de *regimine monialium*. Unde triplex articulus.

[1] *Suarez*, ibid.; enumerat Abbates inter Praelatos infimi gradus. Hoc utique potest concedi de Abbatibus localibus, praesertim "non perpetuis." Existunt vero etiam Abbates Praesides vel Generales, sc. praepositi alicui congregationi vel provinciae, quo in casu certe aequant Provinciales. Imo nostro tempore "Benedictinis nigris" Abbas "Primas," residens in Collegio S. Anselmi de Urbe, a Leone XIII, f. r. adjunctus est, cuius quidem potestatem—sive dignitatem sive mere personatum—non est nostrum determinare, quippe cum documenta authentica deficiant.

Articulus I.

De Subjecto Regiminis.

Potest quis regimine monasterii vel Ordinis potiri—quae est prima quaestio—per electionem, nominationem et postulationem, quorum prior modus usitatior est apud omnes fere Religiones.

§ 1. *De electione Praelatorum.*

1. *Definitur* electio: "personae idoneae ad praelaturam Regularium vacantem per vota legitimorum electorum canonica vocatio a Superiore confirmanda."[1] Dicitur *canonica* vocatio, quia Ecclesia per canones—praeter peculiaria Ordinibus—regit electiones Praelatorum; per *vota legit. electorum;* concurrere nempe debet consensus personarum, quibus competit jus eligendi, ut persona legitime vocata considerari possit;[2] *praelaturam Regularium,* quo distinguitur a saeculari, praesertim episcopali, quâ Praelatura Regularis est inferior, sive ratione ordinis tantum (nam Praelati Regulares possunt esse Ordinarii), sive ordinis et jurisdictionis; *vacantem,* quia alias electio eo ipso irrita foret.

2. *Forma electionis* est triplex: per quasi inspirationem compromissum et scrutinium.[3]

[1] *Santi,* I. tit. 6. n. 3.

[2] *Santi,* l. c.

[3] "Per sortes" tunc licita censeri potest, quando constat de idoneitate canditatorum et 2 vel 3 experimenta inutilia fuerunt, et maxime si agatur de beneficiis non qualificatis." cf. S. C. C. d. 2. Maii 1857. *Santi,* I. tit. 6. n. 16.

a) *Quasi-inspiratio* seu acclamatio tunc habetur, quando electores, nullo praevio tractatu omnes uno ore in eandem personam sine vitio consentiunt.[1]

b) *Compromissum* tunc obtinet, quando electores sponte et unanimi consensu (nullo omnino excepto) uni pluribusve clericis, sive de gremio, sive extraneis, pure vel sub certis conditionibus negotium electionis deferunt.[2]

De *his duobus* modis *controvertitur* inter auctores, utrum adhuc possint adhiberi in electionibus Praelatorum Regularium propter decretum Concilii Tridentini.[3]

Porro affirmant Schmalzgrueber,[4] Miranda,[5] et alii[6] adhuc adhiberi posse illos modos. Negant hoc Reiffenstuel,[7] Fagnani[8] et alii, inter quos Craisson[9] dicens: "Cum suffragia debeant esse secreta sub poena nullitatis, locum non habet electio per compromissum vel per inspirationem." Citatur etiam declaratio S. C. Concilii d. 3. Oct. 1585, quae sic habet: "electiones Regularium non possunt fieri per compromissum vel per communem inspirationem."[10] Supposita genuinitate huius decreti,

[1] *Aichner*, Comp. ed. 8. p. 283; c. 42. X (I. 6).
[2] *Aichner*, l. c. p. 284.
[3] Sess. XXV. c. 6, de Regg.
[4] Decretal. l. I. tit. VI. n. 87.
[5] Manuale Praelat. l. II. c. XIII. 3.
[6] cf. *Piat.* I. 496, nota 6.
[7] Decret. I. tit. VI. n. 348.
[8] Decret. I. tit. VI. c. 42. n. 25.
[9] Manuale, n. 2996.
[10] Ap. *Passerini*, "Electio" I. n. 59. *Fagnani*, l. c. n. 80; cf. *Piat.* I. 497. Nota 1. Hoc valet de absoluto. Limitatum est compromissum quando compromissarii exquirunt vota singulorum illumque eligunt in quem maior et sanior pars consenserit. *Reiffenstuel*, l. I. tit. 6. n. 74 sq.

et consuetudine contraria non obstante, videtur dicendum quod 2 illi modi electionis non amplius valide possint adhiberi.[1] Ratio vero quod vota debent esse secreta, ac si hoc in compromisso (et quasi inspiratione) non obtineret, non videtur convincens. Nam Concilium apparet electionem per scrutinium dumtaxat ante oculos habuisse.

c) *Per scrutinium* fit electio quando "praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt interesse, celebratur per collectionem suffragiorum circa eam personam in quam consentit maior et sanior Capituli pars."[2] Iste modus certe usitatior et legi Tridentino conformior apparet. Hunc ergo magis determinari oportet, et quidem agendum est de eligentibus, de eligendis, et de processu electionis.

3. Quinam eligere possint seu *de jure activo*.

a) *Omnes* eligere possunt, qui sunt ex communitate vel potius de gremio Capituli. De isto gremio sunt :

α) *Professi* (praesentes) sive simpliciter[3] sive solemniter. Hoc de jure communi; nam per Constitutiones vel Regulam possunt simpliciter professi excludi. Isti professi oportet sint *Clerici*,[4] saltem tonsuram adepti; non vero requiritur ut sint subdiaconi; nam Tridentinum

[1] *Engel*, l. I. tit. 6. n. 41.

[2] c. 42. X (I. 6).

[3] "Professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus quatenes et prout habent solemniter professi." S. C. super statu Regul. d. 12. Junii 1852; *Bizz.* 856.

[4] c. 32. 6° (I. 6): "In Ecclesiis quoque regularibus vel monasteriis . . . non debent . . . conversi Laici cum Clericis electionibus interesse."

concilium [1] loquitur tantum de Praelaturis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum sive sint saeculares sive regulares, uti d. 22. Maii 1577 declaravit S. C. Concilii.[2] Hic iterum nota quod Constitutiones uniuscuiusque Ordinis aliter possint decernere. Laici conversi tum possunt eligere, si Institutum sit laicum,[3] e.g. fratrum scholarum christianarum S. Joan. Bapt. a La Salle. Excluduntur tamen illi Clerici professi, qui, etiam cum indulto Apostolico, ab ordine Mendicantium ad Ordinem non mendicantium transeunt.[4]

β) De gremio Capituli sunt etiam *absentes* ita constituti, ut si essent in loco electionis, jure eligendi uti possent (cf. α) et convocandi sunt ad electionem omnes "qui debent et volunt et possunt" commode interesse. Quodsi unus non fuerit vocatus impugnare potest electionem infra tempus concessum (e.g. a Regula vel Constitutionibus, alias ante electi confirmationem, non vero post [5]); quodsi neglexerit, valida est electio. Vocandi sunt per litteras vel per nuntium. Circa absentes capitulares occurrunt aliqua dicenda:

$\alpha\alpha$) Illi absentes commode venire possunt, qui in tali sunt loco, unde commode vocari et tempore praefixo adesse possunt.[6] At hoc nondum totum est. Nam

[1] sess. XXII. c. 4.

[2] *Passerini*, "Electio" X. 54; *Piat.* I. 499; *Pirhing*, Jus Can. Vol. I. p. 251; Synopsis, p. 78. Aliter *Engel*, l. I. tit. 6. n. 6; *Schmier*, l. I. tract. III. n. 718–723.

[3] *Santi*, l. I. tit. 6. n. 36.

[4] c. 1. Clem. (III. 9).

[5] cf. *Piat.* I. 500, nota 1; *Passerini*, "Electio;" XI. 121.

[6] *Schmalzgr.* I. 6. 20.

hodiernis commerciorum viis et instrumentis ex sat magna distantia vocari et venire velociter possunt. Dirimenda ergo est quaestio potius ex sumptibus, qui sunt faciendi iter instituenti; hoc vero pendet ex facultatibus cuiuscunque conventus.

ββ) Vocandi sunt et intervenire possunt etiam *censura innodati*, excepto quod forsitan sit aliquis excommunicatus vitandus, qui non potest electioni interesse, quin electio eo ipso sit invalida.[1] Excommunicatus toleratus poterit per exceptionem ab edendo suffragio removeri, qua exceptione posita, suffragium si ab ipso detur, non valet.[2] Irregulares, nisi irregularitas ex celebratione in loco interdicto[3] vel ex homicidio proveniat, vocandi sunt.[4]

γγ) Vocandi sunt *privati voce activa* in eo tantum casu, quo judicis sententia (supposito sc. delicto, quod privatione vocis activae plectitur in jure), si ista sit necessaria (sive declaratoria sive condemnatoria) nondum data vel intimata sit: intimatio vere debet fieri ante mensem capitulum praecedentem.[5] Si vero crimen admiserint, quod sententia sive declaratoria sive condemnatoria non indiget, sed ipso facto hac poena plectitur, tunc taliter delinquentes non sunt vocandi, nec possunt interesse electioni.[6]

[1] c. 38. X (I. 6).
[2] *Santi*, I. VI. n. 7.
[3] c. 18. 6° (V. 11).
[4] *Ferraris*, "Homicida," n. 67.
[5] cf. *Ferraris*, "Electio"; *Piat.* I. 504; cf. ibid. decretum hoc statuens ed. a Paulo V, 1606.
[6] ibid.

$\delta\delta$) Capitulares absentes ex jure communi[1] *non* possunt *Procuratores* sive cum mandato generali sive speciali constituere "ad effectum electionis faciendae," ergo non est ipsis applicandum jus universale;[2] quo conceditur in electionibus Praelatorum saecularium constitutio procuratorum ex gremio Capituli sive cum speciali sive cum generali mandato. Hoc sequitur:

1° ex Con. *Tridentino*, quod dicit: "Nec in posterum liceat provinciales aut abbates, priores aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendae constituere aut voces et suffragia absentium supplere;"[3]

2° ex Const. *Innocentii XII* "Christifidelium" d. d. 16. Feb. 1694, in qua expresse absentium vocalium vota nec Protectoris, nec cuiuscunque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum auctoritate suppleri seu alios vocales eorundem absentium loco subrogari conceditur;[4]

3° ex variis *S. C. E. E. et R. R. decisionibus;* quarum una data est die 15. Maii 1723, quoad F. F. Minores Observantes, quae inculcat Const. Innocentii XII citatum.[5] Alia est edita circa eundem Ordinem d. 25. Martii 1836. Quaesitum sc. erat: "quonam sensu intelligenda sunt illa verba decreti (Trid.): 'Ad effectum electionis faciendae,' utrum nempe ad ipsum tantummodo

[1] "Communi" sumitur hic prae omnibus regularibus.
[2] cf. c. 42. X (I. 6).
[3] sess. XXV. c. 6, de Regg.
[4] cf. *Bizz.* p. 317.
[5] id. p. 316 sq.

actum electionis, an vero etiam ad electores ante Capituli celebrationem constitutos pertineant?" et resp. S. C. "affirmative quoad utramque partem, quatenus verba Concilii tum ad actum electionis tum ad electores ita referenda sunt, ut nec mere titularis, nec alii, qui vicem absentium suppleant ad effectum electionis faciendae constitui possint."[1] Ergo non videtur posse dubitari quod attinet procuratores de jure communi Regularium non constituendos. Diximus de *jure communi;* nam per modum privilegii, vel Constitutionum, quae procuratorem admittunt, approbationem, tales procuratores cum mandato dumtaxat generali, non speciali,[2] possunt constitui.

Quodsi procurator constituitur, quaedam *conditiones* debent concurrere, quarum:

1ª est ut ille, qui constituit procuratorem, sit a loco, in quo celebranda est electio, absens;

2ª est, ut justo impedimento detineatur ab iter arripiendo, quale esset infirmitas gravis,[3] item magni nimis sumptus itineri impendendi;

3ª est, ut procurator eligatur ex canonicis electoribus, sc. e gremio Capituli talis, qui voce activa gaudet; aliter Capitulares illum repellere possunt;

4ª est, ut procurator—quippe cum mandato generali

[1] cf. *Bizz.* p. 69. sq. Aliter sentiunt nonnulli canonistae, e.g. *Engel,* I. tit. 6. n. 10; *Barbosa* ad sess. XXV. Trid. c. VI. n. 13; *Schmier,* L. I. tract. III. n. 784.

[2] Ita S. C. Concilii d. 8. Aug. 1570; *Passarelli,* lib. Privil. Minimorum; *Engel,* I. 6. n. 10; *Barbosa* ad sess. XXV. Trid. c. VI. n. 13.

[3] *Santi,* I. 6. 13. I. 50.

—*uni* personae eligendae suffragium proprium et illud mandantis det, sc. duplex suffragium uni personae.[1]

εε) Hic etiam quaeri potest—praesertim cum constitutio procuratorum multas inconvenientias secum ducat non raro—utrum absentes *per litteras* vota vel suffragia possint dare.

Imprimis respondendum est, cum procuratores non possint constitui a regularibus absentibus, quippe quorum vota non sunt supplenda, a fortiori videtur dicendum non licere per litteras. Nam categoricae sunt decisiones legis quoad hanc partem. Cf. δδ) Et revera fere omnes auctores defendunt negativam sententiam. Layman [2] utique docet in electionibus regularium in quibus forma scrutinii exacte non servatur, sed schedulae obsignatae in urnam unam conjiciuntur, nihil obstare quominus suffragium ita scriptum ab absente vel infirmo ad Capitulum mittatur.[3] Recte consideratur sententia negativa tanquam receptissima.[4] Nam canonistae semper insistunt verbis "secreto et singillatim" vota esse danda. Porro non apparet quomodo hoc servari possit, si per litteras suffragia dentur. Accedit hic ratio pro regularibus specialis, quod vota absentium non sint supplenda.

γ) *Excluduntur ab electione*, etiamsi praesentes:

[1] *Santi*, l. c. n. 14 sq.

[2] Quaest. can. de Pralatis Eccl. q. 44.

[3] cf. *Engel*, I. t. 6. n. 10.

[4] *Schmier*, I. tract. III. n. 118 et 783. Legimus hac de re libellum cl. Abbatis *Innoc. Wolf*, O.S.B., qui benigne nobis illam dissertationem, in qua optime hac de re tractat, adhibere concessit.

$\alpha\alpha$) Suspensi, i.e. illi qui vel totaliter, ab officio scilicet et beneficio, vel ab officio dumtaxat sunt suspensi; non vero suspensi a beneficio tantum.[1]

$\beta\beta$) *Excommunicati* excommunicatione maiore; tamen illi tantum, qui sunt nominatim denunciati ceu excommunicati et publici percussores Clericorum.[2] Proin, nisi Regula vel Constitutiones aliter dicant, suspensi et excommunicati a Praelato Regulari propter delicta Ordini unicuique propria, non debent arceri ab electione facienda.

$\gamma\gamma$) *Interdicti* personaliter—locale interdictum non afficit jus eligendi;—item qui interdictum locale violant celebrando sine speciali privilegio, eo quod irregularis evadunt et voce activa ac passiva privantur.[3]

$\delta\delta$) Religiosi *proprietarii,* qui sc. votum paupertatis violasse, retinendo aliqua bona contra voluntatem Superiorum expressam vel saltem rationabiliter praesumptam, convincuntur. Privantur voce activa per biennium.[4]

$\varepsilon\varepsilon$) *Scienter eligentes indignum* pro ea vice jure eligendi privantur. Quod ita intelligendum est, ut illa vice, qua hic et nunc electio de indigno a maiore parte Capituli celebrata, publicata ac insuper publicae seu communis electionis decretum desuper formatum est, tota potestas capitularis in minore parte eligentium resideat, ita ut hi, si concordes fuerint, suam electionem renovare et

[1] *Engel,* I. 6. n. 7; *Santi,* I. VI. 7, Vol. I. 55.
[2] ibid.
[3] *Engel,* l. c.
[4] *Trid.* sess. XXV. c. 2, de Regg.; *Engel,* l. c. n. 8.

publicare vel novo scrutinio ni aliquem dignum convenire valeant. Si vero iste a minore parte electus non acceptet vel aliquo impedimento laboret, vel moriatur et ita nova electio sit instituenda, tunc alii Capitulares, qui prius indignum elegerunt, excludi amplius non possunt.[1]

ζζ) *Negligentes tempus* electioni praefixum, cum sc. tempus a jure praescriptum (quoad regulares est trimestre a die vacationis Capitulo innotescentis computandum) per negligentiam elabi patiantur. Electio post id temporis facta de rigore juris est invalida et jus eligendi devolvitur ad Superiorem competentem. Potest tamen de aequitate ab isto Superiore sustineri, si ipse velit cedere juri suo.[2]

Quoad *aetatem* hic nihil est dicendum, quippe cum haec professione computetur.

4. Quinam elegi possint seu *de jure passivo:*

a) *Eligibiles* sunt:

α) Qui sunt *solemniter*[3] *professi* (non tantum simpliciter) in eodem Ordine, ad cuius praelaturam assumuntur, non vero in alio Ordine.[4] Generatim loquendo, dicendum est requiri, ut eligatur ex gremio Capituli; saltem de decentia et aequitate, qua Capitularibus convenit, ne ipsis invitis extraneus obtrudatur.[5] Verum non prohibetur jure, quominus ex alio monasterio

[1] *Engel*, l. c. n. 9.

[2] *Engel*, l. c. n. 14.

[3] S. C. super Statu Regul. a 16. Jan. 1891; *Acta S. Sedis*, Vol. XXIV. p. 566.

[4] c. 1. Clem. (I. 3.).

[5] c. 13. dist. 61; cf. *Engel*, I. 6. n. 20.

religiosus legitime eligatur, e.g. eiusdem Congregationis vel Provinciae, circa quod attendendae sunt peculiares Regulae et Constitutiones.

β) Qui sunt *clerici* propter jurisdictionem ordinariam; quamvis non requiratur ut sit sacerdos hic et nunc, sed sufficit ut debito tempore suscipiat presbyteratum,[1] et quidem infra annum a die adeptae possessionis computandum.[2] Quid, si, e.g. clericus in sacris emittat professionem praelatura vacante et subito eligatur in Praelatum (suppositis requisitis), estne irrita electio? Non videtur, praesertim cum tempus 3 annorum post professionem simplicem in Ordine peregerit, et proin c. "Officii"[3] quod loquitur de insufficienti in Ordinis Regulae instructione, non debet applicari.[4]

γ) Qui sint *aetatem 25 annorum* adepti (saltem inchoaverint), quae aetas juxta communiorem sententiam sufficit.[5] Hoc praesertim sequitur ex Synodo Pictaviensi (1078), in qua constitutum fuit, ut Abbates sint presbyteri,[6] et ex potestate, quam Innocentius III agnoscit in Abbatibus, ordines minores conferendi.[7] Quodsi Abbatia forsitan esset titularis, et Abbas proin

[1] *Bouix*, II. 412.

[2] *Engel*, I. 6. n. 17; cc. quos citat iste auctor non quidem agunt de Abbatibus, c. 7. X (1. 6); c. 14. 6 (I. 6); c. 35. 6o (I. 6), sed de Archidiaconis et parochis; at ex pari arguitur propter curam animarum.

[3] c. 38. X (I. 6).
Bouix, II. 412.

[5] *Bouix*, ibid.; *Suarez*, de Relig. t. XVI. l. II. c. 3. n. 7; *Engel*, I. 6. n. 28; *Tamburini*, t. I. d. V. q. IX. n. 3.

[6] c. 1. X (I. 14).

[7] c. 11. X (I. 14).

gauderet, non dignitate, sed personatu dumtaxat, aetas 22 annorum sufficeret.[1]

b) *Eligibiles non sunt* (sive ex defectu naturae, sive ex defectu morum, sive propter impedimentum canonicum):

α) Ex *defectu naturae:*

1° Qui se gubernare nesciunt sive ob rationis defectum sive ob aetatis imbecillitatem.[2]

2° Irregulares ex defectu corporis, i.e. mutilati, caeci, surdi, muti, balbutientes, paralytici, claudi, enormiter deformes.[3]

3° Illegitimi nati, quibus, quamvis per professionem irregularitas tollatur quoad ordines sacros, non tamen patent "portae dignitatum"[4] ad praelaturam, nisi ex speciali S. Sedis indulto.[5]

Quoad *scientiam* nihil stabilitur in Jure; nullus gradus academicus requiritur. At certe ea scientia pollere oportet Praelatum, qua dirigere valeat suos, et praesertim sicut "nulli clerico," ita nulli Praelato "licet canones ignorare."

β) Ex *defectu morum* non sunt eligibiles:

1° Infideles.

2° Haeretici, credentes, receptores, defensores et fautores eorum et eorum filii in linea masculina ad secundam usque generationem (nepotes); in feminina usque ad primum gradum.[6] Hoc tunc valet, si

[1] *Trid.* sess. XXIV. c. 12. Ref.; cf. *Santi*, l. I. tit. 14. n. 15.
[2] *Schmalzgr.* I. 6. n. 16.
[3] *Aichner*, Compend. ed. 8. p. 207 sq.
[4] Reg. Juris 87 in 6°.
[5] *Engel*, I. 6. 24.
[6] *Santi*, I. 6. n. 11.

eorum parentes in haeresi, etc., decesserunt, non vero si "emendatos esse constiterit et incorporatos Ecclesiae." [1] Huc pertinent etiam schismatici, qui revertentes ad unitatem Ecclesiae dispensative tantum ad praelaturam promoveri possunt.[2]

3° Sacrilegi.[3]

4° Falsarii Litterarum apostolicarum.[4]

5° Perjurii.[5]

6° Usurarii manifesti et publici aleatores, qui sc. immoderate alearum ludis dent operam.[6]

7° Sodomiae vitio maculati,[7] saltem qui frequenter huic vitio incubuerunt.[8]

8° Ambitiosi, qui nempe consentiunt electioni in propriam personam factae, antequam conficeretur et publicaretur electionis decretum.[9]

9° Qui tempore electionis absque congrua dispensatione plura beneficia curata, aut dignitates aut personatus obtinent.[10]

10° Qui consensit electioni de se factae per abusum saecularis potestatis.[11]

11° Simoniace electus, etiamsi ipso ignorante pecunia

[1] c. 15. 6 (V. 2).
[2] c. 5. X (I. 6).
[3] c. 34. X (I. 6).
[4] c. 7. X (I. 6).
[5] c. 16. X (II. 24).
[6] c. 15. X (V. 31).
[7] Const. *Pii* V "Horrendum;" cf. *Santi* I. 6. n. 11.
[8] *Schmalzgr.* I. 6. n. 17.
[9] c. 46. X (I. 6).
[10] c. 54. X (I. 6) § Nos igitur.
[11] c. 43. X (I. 6).

in eius favorem sit data, irrite electus est, dummodo pretium non sit solutum contra eius voluntatem.[1]

12° Infames sive qui maculantur infamia sive juris sive facti,[2] si ex aperto (non occulto) crimine proveniat.[3] Infamia facti cessat sine ulla dispensatione cessante infamia sive per purgationem a crimine mere conficto, sive per emendationem a crimine patrato, sive per mutationem loci. Infamia juris tolletur per restitutionem a Summo Pontifice factam.[4]

γ) *Propter impedimentum canonicum* non possunt elegi:

1° Innodati censura aliqua, scilicet:

α) *Suspensi* sive a beneficio sive ab officio (distributive, non collective sumatur).[5]

β) *Excommunicati*, etiamsi non vitandi, i.e. tolerati, dummodo non fuerint occulti.[6]

γ) *Interdicti* personaliter vel temere violantes interdictum locale.[7]

2° Omnes irregulares sive ex delicto sive ex defectu. Hi fere sunt casus, quibus existentibus professus religiosus ex jure est ineligibilis. His accedunt aliqui alii, quos breviter adducere juvat:

[1] c. 27 X (V. 3).

[2] Reg. J. 87. 6°.

[3] *Santi*, I. 6. n. 11.; homicidium occultum inducit irregularitatem; unde ex hoc capite quis excluderetur a jure passivo, qui occultum homicidium perpatrasset.

[4] *Aichner*, Compend. p. 223.

[5] c. 8. X (I. 4).

[6] ibid.; *Santi*, I. 6. 11, I. p. 57.

[7] c. 18. 6° (V. 11).

1us In transitu a statu laicali (i.e. talis, qui professus fuerit statum religiosum laic.) ad clericalem, dispensationi S. Sedis factae generatim clausula apponitur quod transiens inhabilis sit ad praelaturas.[1]

2us Transeuntes ab Ordine Mendicantium ad non Mendicantem sunt ineligibiles.[2]

3us Regularis ad Episcopatum promotus, si renuntiato Episcopatu, ad Religionem redeat, ad Ordinis Praelaturas eligi nequit.[3]

4us Poenitentiati a S. Officio (Inquisitionis), etiamsi poenitentias compleverint.[4]

5. *De Processu electionis.*

Quae hoc capite tractanda veniunt, respiciunt vel locum vel tempus electionis vel ipsam electionem.

1° Vocantur eligentes signo aliquo distinctivo (e.g. campana) ad locum electionis, *Locus* iste debet esse intra ambitum ecclesiae viduatae,[5] quo nomine pro regularibus totum monasterium venit. Nec refert quidquam quoad validitatem utrum sit honestus necne; quo in casu electio (si inhonestus fuerit locus), foret irritanda.[6] Nec etiam refert utrum interdictus sit ille locus.[7]

[1] S. C. E. E. et R. R. d. 27. Maii 1842; *Anal. Juris Pont.* XVII. p. 249, p. 251; XVIII. p. 612.

[2] c. un. Clem. (III. 9).

[3] Const. *Pauli IV* "Sollicitudo pastoralis;" cf. *Piat.* I. 515. Obtinet tamen locum primum post Praelatum actualem.

[4] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. l. I. c. 19. n. 128.

[5] c. 28. X (I. 6).

[6] *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 348–350.

[7] *Schmier*, l. c. n. 351 sq.; *Schmalzgr.* I. 6. n. 31.

2° *Tempus* quod attinet notandum est:

a) Electionem non debere celebrari antequam demortui Praelati cadaver sepulturae traditum fuerit,[1] nisi forsitan aliqua rationabilis causa adfuerit.

b) Debet, generatim loquendo, fieri intra trimestre.[2] Dixi generatim loquendo, nam Fratribus Minoribus Clemens IV concessit, ut tempus praescriptum pro ipsis non currat.[3]

c) Potest valide fieri electio quacunque diei parte, etiam nocte; nec tempus pomeridianum, nec antemeridianum prohibetur jure.

d) Quodsi aliqua pars electorum non advenerit ad diem et horam praefixam, altera pars electionem potest perficere.[4]

e) Si electores legitime fuerint impediti ad faciendam electionem, poterunt pro rata temporis impediti prolongare tempus.

f) Si electionem fecerunt, at ista nullum sortita sit effectum ex parte electi (e.g. recusat, moritur), novum ac integrum tempus utile conceditur, sc. trimestre.

3° *Ipsa electio* potest considerari *a*) remote et *b*) proxime.

Quoad *a*) observa, quod electio debet fieri libere, non per abusum saecularis potestatis, neve per vim et metum, vel coarctationem votorum.

[1] c. 36. X (I. 6). *Engel* dicit non ante 3^{m} depositionis diem; I. 6. n. 31.

[2] c. 41. (I. 6).

[3] *Piat.* I. 518.

[4] ibid. p. 520; *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 343.

α) *Abusu potestatis saecularis*[1] dicitur facta electio, si ante electionem principis laici consensus requiritur super electione facienda;[2] si laicus intersit electioni ad suffragandum;[3] si simpliciter adsit sub praetextu protectionis;[4] qui casus hac in nostra regione vix occurrent, saltem quoad electiones Praelatorum regularium.

β) *Vis vel metus* tunc est sufficiens ratio, cur electio invalida habeatur, quando iste metus est talis qualis ceciderit in constantem virum et simul sit injuste incussus; nec refert, utrum metus sit incussus quoad unam personam determinatam vel plures (sc. eligendas).[5]

γ) Ut *nulla coarctatio votorum* locum habeat, quae potest fieri, vel

1° circa *numerum eligendorum*. Nullus (sive Superior sive "ad quem pertinere dignoscitur") potest coarctare numerum personarum eligendarum (sc. qui voce passiva gaudent).[6] Potest tamen fieri per Regulam vel Constitutiones, ut nonnisi quidam ex certa personarum classe eligibiles sint; e.g. alicuius nationis, vel gradibus academicis ornatorum, vel certis qualitatibus gaudentium.[7] Ex quo sequitur, Superiorem (e.g. Praesidem Congregationis, vel Generalem) non posse absque justa causa aliquem excludere a jure passivo electionis

[1] c. 43. X (I. 6).

[2] c. 14. X (I. 6).

[3] c. 51. X (I. 6).

[4] S. C. C. d. 5 April 1646; *Fagnani* in c. 42 decr. l. I. tit. VI. n. 31.

[5] *Ferraris*, "Electio," art. IV. n. 51; *Tamburini*, Vol. I. disp. V. q. 22. n. 7 sq.

[6] c. 14. X (I. 6).

[7] *Piat.* I. 544.

et taliter exclusum reclamare posse contra electionem factam; et patet quod injuste exclusum electores possint eligere.[1] Quaenam sit justa causa, facile non determinatur. Recurrendum est ad uniuscuiusque Ordinis statuta vel consuetudines. Notandum tamen, quod si reus fuerit alicuius delicti, quod exclusionem secum ferat, istam poenam rite pronuntiari debere, citato reo et audito, nec debere fieri praecise ratione instantis electionis, si alias non foret sessio Capituli; alias exclusus reclamare potest;

2° vel circa *numerum eligentium*. Nullus Superior, nisi Summus Pontifex, eligentium numerum minuere potest, nisi servatis jure et forma praescripta.[2] Nec augere potest numerum; hinc non potest Superior (intellige Ordinis, vel ad quem pertinet electionem dirigere), e.g. novitio concedere jus suffragium ferendi vel laico converso.[3]

b) *Proxime considerata electio* respicit praesertim tractatum praevium, quasdam circumstantias vel solemnitates, et scrutinium.

α) *Tractatum praevium* consultivum hic intelligimus, non de forma electionis vel scrutatoribus, sed de persona eligenda, de unius vel alterius meritis et praerogativis discutiendis. De isto ergo quaeritur, utrum necessario sit praemittendus electioni necne. Hic non concordant auctores. Dum alii,[4] quibusdam Juris textibus[5] innixi,

[1] *Piat.* I. 544.
[2] *Passerini*, "Electio," l. III. 118.
[3] c. 32. 6° (I. 6).
[4] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. l. I. c. 19. n. 183.
[5] c. 1. dist. 23. cc. 21, 30, 52, 55, X (I. 6).

dicunt esse necessarium et quidem ita, ut absque eo electio esset invalida,[1] alii hanc sententiam respuunt et e contrario dicunt non esse opportunum, imo C. Tridentino[2] adversari, juxta quod secreta debent esse suffragia, et tractatus praevius videtur prohiberi.[3] Quae posterior sententia potius est amplectenda. Nam textus juris, qui contra istam referuntur, omnes agunt de ipsa electione, quod jam apparet ex hoc, quod R. Pontifex singulas approbat vel irritas declarat. Textus Decreti Gratiani agit de Summo Pontifice, de cuius electione deberent "diligentissime tractare."[4]—Si quis velit arguere ex obligatione digniorem eligendi,[5] facile respondetur: hoc relinquitur uniuscuiusque judicio et conscientiae, quae non debent informari ex tractatu praevio, et aliunde potest quisque habere notitiam de meritis illius quem eligere intendit, praesertim ubi vita communis habetur. His non negamus, posse Regularem colloqui cum alio de qualitatibus eligendi alicuius.[6] Tractatus vero stricte praevius, non raro plures inconvenientias secum fert, lites sc., discordias, denigrationem, ambitionem et simoniam.[7] Ergo cum

[1] cf. auctoritates apud *Barbosa*, l. c.

[2] c. 6. sess. XXV. de Regg.

[3] *Schmier*, l. I. tr. III. c. 1. n. 363–369, qui citat Passerini, Wiestner, Guethrather in suam sententiam.

[4] C. 1. Dist. 23 § 2, quibus verbis nihil aliud insinuari videtur nisi quaedam praeliminaria discussio et praecautio, ut electio bene procedat.

[5] Ita *Piat.* I. 521.

[6] Quod expresse concessit Cisterciensibus *Gregorius XIII* Const. "Romanus Pontifex." cf. *Piat.* l. c.

[7] *Schmier*, l. I. tract. III. c. 1. n. 368.

nullus (saltem obvius et clarus) textus Juris habeatur, imo C. Tridentinum potius contrarium statuat, non videtur rite adhiberi talis praevius tractatus.

β) Aliae circumstantiae electionis sunt praesertim absolutio a censuris et juramentum ab electoribus praestandum.

Ante electionem *absolvuntur electores* omnes praesentes (non vero absentes[1]) a Superiore praesidente electioni "a vinculo excommunicationis maioris vel minoris, interdicti vel suspensionis, in quantum se extendunt gratiae et privilegia Ordini concessa . . . ad effectum electionis canonice ac rite faciendae. . . . Item ab omni irregularitate, quatenus opus sit." [2] De ista absolutione dicendum est—exprimitur quidem in formula—quod solummodo valet de iis, circa quae (sc. excom. susp. interd. irreg.) Superior praesidens potestatem habet.[3] Item videtur, quod talis absolutio fit ad effectum dumtaxat exequendum electionis.[4] Unde extra hunc casum censura manet.

Ante electionem *juramentum* praestatur ab electoribus se electuros "probiorem et magis idoneum." Quod juramen non est de essentia electionis;[5] quodsi praestatur non est necessarium, ut Scriptura sacra (sc. Missale vel liber evangeliorum) tangatur; sufficit ut pectus tangatur.[6]

[1] *Ferraris*, "Praelatus Regularis," n. 72.

[2] Formula uti consueta; cf. *Ferraris*, l. c.

[3] *Ferraris*, l. c. n. 71.

[4] Ita *Ferraris*, l. c. n. 73.

[5] *Fagnani*, Decr. I. tit. 6. in c. 8. n. 32; probat ex praxi S. C. E. E. et R. R. 21. Sept. 1624.

[6] *Piat.* I. 524.

Demum *die electioni praefixo* celebranda est Missa de Spiritu Sancto, quam unus ex Capitularibus celebret intra quam omnes, etiam qui sunt sacerdotio initiati, recipiunt S. Communionem.[1] Vel si consuetudo aliter permittit, sacerdotes ceteri dicant S. Missam Votivam de Spiritu Sancto.[2] Quae tamen sacra ceremonia non pertinet ad essentiam electionis, sed magis ad solemnitatem accidentalem—utique minime negligendam.[3]

γ) *Scrutinium.* Quoad hoc tenendus est modus sequens:

1° Omnes debent esse *in unum adunati* (ergo collegialiter vel capitulariter) tempore et loco statutis,[4]—omnes sc. qui possunt eligere (vel eligi).

2° Eligendi sunt *tres scrutatores*, qui vota cunctorum diligenter exquirant.[5] Circa scrutatores nota:

a) quod isti assumendi sunt *de collegio*,[6] seu capitulo, non vero extranei,[7] nisi forsitan consuetudo legitima aliter permittat;[8]

b) quod sint *tres*, nec plures nec pauciores;[9]

[1] *Engel*, I. 6. n. 32.

[2] *Schmier*, I. tract. III. c. 1. n. 347.

[3] Sunt qui putant esse de essentia; cf. *Barbosa* illos citantem J. E. U. l. I. c. 19. n. 189; *Schmier* l. c.

[4] c. 42 X (I. 6) et supra.

[5] ibid.

[6] ibid.

[7] *Barbosa*, J. Eccl. Univ. l. I. c. 19. n. 186 sqq.; qui cum aliis, quos affert sustinet: "aliter electionem esse invalidam nec admittit consuetudinem contrariam. Hoc valet certe de Generalibus, Prior., Abbatibus." *Piat.* I. 524.

[8] *Engel*, I. 6. n. 34.

[9] *Barbosa*, l. c.; *Schmier*, l. I. tr. III. c. 1. n. 383.

c) isti scrutatores eliguntur vel assumuntur a Capitulo *per consensum maioris partis* simpliciter ac citra formam, ne detur processus in infinitum;[1]

d) debent esse *fide digni*,[2] ideoque requirunt aliqui ut juramentum praestent,[3] vel ut ipsis formale detur obedientiae praeceptum, ut electionis negotium fideliter et canonice explicent.[4] Requiritur jam sequitur—ex hoc, quod sint de capitulo electi,—ut iisdem gaudeant qualitatibus, quibus electores.[5]

3° Constitutis talibus scrutatoribus, ipsorum jam est, ut "*secrete et singillatim vota cunctorum diligenter exquirant*,"[6] ad quae notanda sunt:

a) *Duplex* datur *via secreti suffragii*: α) si accedat ad scrutatores ille qui eligit, et secrete, i.e. tali voce proferat nomen illius, quem intendit eligere, ut nullus ex co-electoribus eius audiat nomen nisi soli scrutatores; β) ut nomen scribatur in scheda, ipsaque offeratur scrutatoribus, qui modus videtur magis conveniens.[7] Si prior (α) modus adhibetur, tunc scrutatores tali in loco constituti sint, ut vox nomen proferentis nequaquam possit audiri.[8] Certe plerumque apud regulares

[1] *Schmier*, l. c. n. 384.
[2] c. 42. X (I. 6).
[3] *Passerini*, "Electio," 18. 2.
[4] *Piat.* I. 524.
[5] *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 389.
[6] c. 42. X (I. 6).
[7] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 201. 204.
[8] *Schmier*, I. III. c. 1. n. 394, necessarium putat ut alium locum adeant actualiter eligentes, si locus valde angustus sit. Hoc certe pro surdis, qui generatim alte loquuntur, non erit abs re, nisi scribatur votum.

ita fit scrutinium, ut scrutatores urnam deportent ad unumquemque eligentium, ipsique illam porrigentes, votum excipiant.[1] Qui modus nequaquam videtur improperandus; siquidem ex una parte vota quam maxime secreta manent, et ex altera parte scrutatores munus magis fideliter exequi possunt.

b) *Scrutatores primi dent vota*, et quidem duo ex illis exquirant votum tertii et sic alternatim usque dum tres dederint vota.[2] Hoc non tangit essentiam electionis. (Intellige hoc in casu, quo viva voce profertur votum.)

c) *Omnium omnino electorum vota* sunt exquirenda; nam si unus ex praesentibus contemneretur, electio esset nulla. Scrutatores accedere debent ad infirmum, ut suffragium ipsius excipiant, quia censetur inter praesentes.[3] Communiter scrutatores urnam aliquam (non communi electioni destinatam) ad infirmum deferunt et ipse injiciet schedam.[4] Hoc tamen valet de infirmis in conventu, ubi electio fit, degentibus,[5] non vero de illis, qui extra monasterium, e.g. in hospitali degunt.

d) Quod dicitur "*diligenter*" ita intelligendum, ut, ubi fit electio viva voce coram scrutatoribus, "isti hortentur electores ad electionem rite faciendam, ut dignum eligant etc."[6]

[1] *Engel*, I. 6. n. 35.
[2] ibid.
[3] *Ferraris*, "Electio," a. IV. n. 37; *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 108.
[4] *Ferraris*, l. c.
[5] *Barbosa*, l. c.
[6] *Barbosa*, l. c. n. 196.

e) *Vota* sint *pura, absoluta* et *certa* oportet.[1] Incertum foret votum, si scriberet: eligo, quem Sempronius elegerit, vel: qui plura vota habet. *Condicionatum* esset votum: eligo Cajum, si accipiet electionem, vel si eligibilis est. Indeterminata vel *impura* esset vox, si diceret: volo eligere, volo dare suffragium; item impura esset vox, si adderetur aliqua conditio de futuro contingenti; qui omnes modi dandi suffragia sunt illiciti, et suffragia ita data non computantur.[2]

f) *Vota sint secreta.* Tridentinum statuit: "S. synodus districte praecipit, omnes supradictos (sc. Superiores quoscunque regularium) eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur."[3] Hic nota:

α) quod si quis, etiamsi unus dumtaxat, de facto attentaret dare votum publice et palam, non debet permitti; quia si hoc fieret vidente vel consentiente Capitulo vel maiori parte illius, electio esset nulla;[4]

β) quodsi eligentes uterentur signo patenti schedulae appenso, quo scrutatoribus vel uni ex illis innotesceret, quem illi elegerint, esset nulla electio, et hoc modo electus, si de hac re certior fieret, deberet resignare praelaturam vel petere confirmationem cum dispensatione;[5]

γ) quodsi Pater aliquis praedominans ostenderet vel traderet suam schedulam cum nomine eligendi alicui

[1] *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 397; c. 2. 6° (I. 6).
[2] *Schmier*, ibid.; c. 2. 6° (I. 6).
[3] c. 6. sess. XXV. de Regg.
[4] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 205.
[5] *Barbosa*, l. c. n. 207.

Vocalium, ut iste ostendat illam vel suam (si juxta praedominantis schedulam nomen suae schedulae inscriberet) aliis Vocalibus a Patre praedominante dependentibus, irrita esset electio;[1]

δ) quodsi Praeses ante publicationem communem alicui vel aliquibus Vocalibus traderet schedulas cum nomine eligendi, irrita esset electio;[2]

ε) non tamen irrita esset electio, si unus ex Vocalibus ostenderet alteri secreto modo suam schedulam sive per errorem sive per malitiam inscio Capitulo, dummodo non causet effectum.[3]

4° In *scriptis redacta* (sc. vota) mox "scrutatores publicent in communi."[4] Hic observa:

α) Quodsi vota viva voce (intellige coram scrutatoribus) dantur ab electoribus, *scrutatores vota scripturae tradere debent.* Hoc est officium scrutatorum, quod tamen per notarium vel tabellionem potest perfici.[5] Hoc debet observari a regularibus, quia c. 6. Trid. huic modo non derogavit.[6] Et quidem consequentes, etiamsi schedulae in urna iniciuntur. Nam, uti fere omnes canonistae dicunt, ista scriptio est de essentia electionis, unde non servata hac, electio foret

[1] *Ferraris*, "Electio," art. IV. n. 36.

[2] *Ferraris*, l. c. n. 35.

[3] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 209 sq. Notat tamen, quod Rota censuerit electionem esse nullam, etiamsi unicum tantum suffragium publicetur, nisi talis manifestatio fieret in fraudem,—quod utique evidenter deberet probari.

[4] c. 42 X (I. 6).

[5] *Engel*, I. 6. n. 36; *Schmier*, I. III. c. 1. n. 401.

[6] *Barbosa*, l. c. n. 213.

irrita.[1] Verum hic occurrit quaestio, quandonam praecise vota scripturae tradenda sint. Dicendum est, quodsi vota schedulis dentur, scrutatores collectis votis, schedulas (nondum apertas) numerent, ut appareat, utrum numerus sit aequalis numero suffragium dantium (sc. e.g. si 20 sint electores 20 quoque schedulae sint collectae oportet). Quo peracto, si numerus sit aequalis cum numero electorum, apertis schedulis vota redigenda sunt in scriptis.[2] Quodsi viva voce dentur suffragia statim ac votum excipitur, videntur debere scriptis redigi; siquidem hoc modo facilius error in computando vel scribendo, et etiam suspicio praecaventur.

b) *Publicatio votorum* varie a variis auctoribus explicatur. Alii dicunt, vota in communi publicari, quando integer eorum numerus publice quoad totam congregationem proferatur, non exprimendo in quorum favorem data fuerint vel quot ex ipsis electoribus in hanc vel illam personam descenderint, sed explicando tantum numerum personarum, quae suffragium tulerint.[3] Alii volunt publicationem ita fieri, ut nomen electi (sive plurium electorum) patefiat.[4] Schmier refert modum quo in eccl. Salisburgensi metropolitana utuntur: Postquam omnes schedulae in calicem sunt impositae, commiscentur et effunduntur in mensam et

[1] *Barbosa*, ibid.

[2] Ita *Piat.* II. 525, explicat c. 42. X (I. 6).

[3] Ita *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. 6. 19. n. 216; *Tamburini*, I. disp. V. q. VI. n. 13; *Layman*, Quaest. canonic.; de Prael. electione, q. 74.

[4] *Leurenius*, *Wiestner* quos citat *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 402.

numerantur. Tunc reponuntur in calicem, una post alteram extrahitur, aperitur ac nomen personae ibidem scriptae annotatur.[1] Quo facto, revocantur D.D. Capitulares, ipsisque volentibus publicantur personae, quot electae sunt et quot habuerint vota.[2] Publicationem istam putamus omnino maxime congruam. Ceteroquin qualiscunque sit, est necessaria de substantia electionis aliqualis publicatio.

c) *Effectus publicationis* est, ut electores nequeant amplius variare seu vocem suam revocare.[3]

5° "*Is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior et sanior pars Capituli consentit.*"[4]

a) *Collatio* in jure *triplex* notatur, sc.: numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum.[5] Collatio numeri ad numerum est computatio votorum inter se, ut appareat, in quem maior numerus ceciderit. Collatio zeli ad zelum est examen de personis eligentium, qua scilicet probitate, intentione ad eligendum sint permoti. Collatio meriti ad meritum est reflexa consideratio personae electae, ponderando illius merita, virtutes et dotes ac conferendo cum meritis, virtutibus et dotibus alterius electi.[6] At vero in electionibus, quae fiunt apud regulares, collatio zeli ad zelum, suppletur praesertim ex praesumptione quod regulares propter incapacitatem, non facile obnoxii simoniae,

[1] Ibi habes solutum quandonam scriptis tradenda sint vota.
[2] l. c. n. 404.
[3] c. 58. X (I. 6).
[4] c. 42. X (I. 6).
[5] c. 55. X (I. 6).
[6] *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 407.

aliquem bono zelo elegerint.[1] Collatio meriti ad meritum praesertim suppletur per collationem numeri ad numerum, quia

b) *maior et sanior pars requiritur.* Sanior pars electorum illi sunt qui pietate et prudentia sunt conspicui.[2] Verum quia ex Tridentino,[3] vota ita debent esse secreta ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, factum est, ut amplius non inquiratur, quaenam suffragiorum pars sit sanior, sed tantummodo maior seu minor ipsorum numerus respiciatur.[4]

c) *Maior numerus* suffragiorum est computandus *absolute*, non relative, i.e. respectu totius Capituli, non respectu coelectorum; v.g. si essent 40 electores, ut quis sit electus prae ceteris, oportet habeat saltem 21 vota; aliter invalida esset electio.[5]

d) *Si*, collatione facta, *nullus sit electus*, deficiente numero requisito, iterandum est scrutinium (combustis prius schedulis et novis distributis).[6] Et sic porro usque dum terminus electioni praefixus (sc. trimestre a die vacationis cognitae) elapsus est; quodsi non potuerint electores vota in unum unire, jus electionis *devolvitur ad Superiorem.*

[1] *Engel*, I. 6. n. 35.

[2] *Engel*, I. 6. n. 38.

[3] c. 6. sess. XXV. de Regg.

[4] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 221.

[5] *Engel*, I. 6. n. 37; *Barbosa*, l. c. n. 223, qui etiam refert decisionem S. C. E. E. et R. R. de 14. Jan. 1630.

[6] "Accessus" qui adhibetur in electione Summi Pontificis, licitus non est in electione Abbatum; cf. *Schmier*, l. c. n. 414; quamvis licitus esse videtur quoad electionem Abbatissarum; *Smith*, Compendium n. 274.

6° Collatione habita, *et uno electo* "per unum est pronuntianda et facienda *communis electio.*"[1] Ista electio est veluti unus actus totius Capituli, qui non intelligitur consumari, donec unus nomine totius Capituli, cui ipsum talem auctoritatem dederit per verba singularis numeri loquatur et eligat futurum Praelatum.[2]

a) Forma est fere sequens: "Placetne vobis electionem publicari" alloquitur ille unus omnes electores et isti respondent: "Placet."[3] Deinde sic ait: "Ego nomine eligentium, mihique consentientium invocata gratia Spiritus S., in (Generalem, Provincialem,) Abbatem huius ecclesiae (monasterii) eligo et electum coram vobis pronuntio N.; in nomine Patris etc."[4]

b) Ista communis, et quidem statim sine morali interruptione post collationem facienda, electio est de substantia electionis.[5]

c) Publicatio vel communis electio facienda est expresse et clara voce; nec sufficit aliquis actus eligentium, qui electionem importet, sed requiruntur verba ore prolata. Post publicationem vota non possunt mutare electores.[6]

d) Quinam ille unus sit, per quem communis electio est facienda, non determinatur in jure. Unde potest

[1] c. 21. 6° (I. 6).
[2] *Barbosa*, l. c. n. 225.
[3] ibid.
[4] *Engel*, I. 6. n. 39. Longiorem formam videsis apud *Barbosa*, l. c.
[5] *Barbosa*, Jus Eccl. Univ. I. c. 19. n. 226.
[6] *Barbosa*, l. c. n. 228; *Smith*, Compendium, n. 274.

esse Praeses electionis vel unus ex scrutatoribus, uti generatim fit.[1]

e) *Post istam publicationem* schedulae sunt comburendae coram Capitulo, quod aliqui auctores putant esse de substantia electionis.[2]

f) His omnibus rite peractis cum effectu, ut unus fuerit electus, expeditur a quodam (sive Notario, sive aliquo alio, Secretario, etc.) *electionis decretum in scriptis*. In isto ponantur: nomina eligentium,—non vero singulorum assensus et subscriptiones[3]—electi nomen et dignitatis titulus, scrutinium,[4] votorum publicatio, collatio et communis electio; tandem istud decretum corroboretur sigillo monasterii[5] et scrutatores illi subscribunt (vel Provinciae, si de Provincialibus fit electio). Istud decretum non est de essentia electionis.[6] Decretum statim mittatur ad eum, cui competit electum confirmare.[7] Post negotium electionis peractum canatur "Te Deum." His finitur scrutinium vel electio per scrutinium.[8]—Porro de electione per compromissum non est cur loquamur, cum iste modus satis secure non

[1] Generatim a primo scrutatore, *Schmier*, I. tr. III. c. 1. n. 472. *Piat.* I. 525.

[2] *Barbosa*, l. c. n. 227.

[3] cf. C. *Trid.* c. 6. sess. XXV. de Regg.

[4] Videtur etiam numerus, si plura fuerint scrutinia.

[5] Ita *Barbosa*, l. c. 228.

[6] id. n. 229.

[7] id. n. 230.

[8] *Piat.* I. 526. Hic de decreto dicit: "Tandem (cf. 6, f) litteras conficiunt testimoniales, quas subsignant et quibus apponitur conventus sigillum." De litteris testimonialibus alibi non legi. Auctores generatim loquuntur de decreto.

possit adhiberi in electionibus regularium.

Loquendum tandem est *de vitiis electionis.*

Vitium 1^m^ est *simonia.* Porro sufficit conventionalis simonia, ut electio evadat irrita.[1] Distinguitur duplex species simoniae conventionalis: Si voluntas offerendi temporale pro spirituali (hic aliquod bonum temporale, e.g. iter promittendo, vel aliquod mobile, quod forsitan apud regulares occurrere potest) aut vicissim, ab uno tantum parte manifestatur (Act. 8. 19) dicitur simonia conventionalis incompleta. Si utraque pars paciscitur, quin adhuc praestetur quidquam (e.g. promittitur expositura), erit simonia pure conventionalis.[2] Ista ultima certe requiritur, ut electio invalida habeatur.[3] Porro realis simonia, i.e. datio pretii temporalis pro re spirituali, a fortiori efficit electionem invalidam.[4] Imo taliter eligentes juxta aliquorum sententiam[5] incidunt in excommunicationem latae sententiae R. Pontifici simpliciter reservatam.[6] Eandem poenam contrahunt obnoxii simoniae confidentialis.[7]

2^m^ vitium est *electio indigni scienter peracta* ab electoribus. Erit electio ipso facto nulla, si persona electa de jure naturali est inhabilis ad praelaturam; irritanda est, quando canones addunt clausulam irritatoriam alicui personae eligendae, e.g. in electione

[1] *Ferraris,* "Simonia," art. I. n. 18; c. 11. X (V. 3).
[2] *Aichner,* Compend. ed. 8. p. 179. Nota 8.
[3] cf. *Schmalzgr.* V. tit. 3. n. 250.
[4] c. 27, X (V. 3).
[5] *D'Annibale,* in Const. "Apost. Sedis," p. 89.
[6] Const. "Apost. Sedis," tit. II. n. VIII.
[7] ibid. n. IX.

censurati.[1] Sed tunc dumtaxat erit irrita, si communis electio est facta. Unde, si, etiam facto scrutinio et publicato, electores ante communem electionem recedentes, dignum eligant, electio huius valet, nec poenas incurrunt statutas eligentes, sc. amissionem juris eligendi ea vice et suspensionem ab ecclesiasticis beneficiis per triennium (si possident).[2]

3^{m} vitium in electione contingit, cum in parte substantiali *non servatur forma electionis praescripta.* Quo in casu et electio est nulla et pro ea vice devolvitur ad Superiorem. At si forma specialis observari nequit, electio secundum jus commune confecta sustinetur.[3]

4^{m} vitium occurrit in electione, *quando* aliqua *persona laica admittitur* sive ad faciendam electionem sive ad suffragium ferendum simul cum regularibus.[4] Intellige in instituto regularium cum votis solemnibus, quae non sunt mera laicalia instituta.

5^{m} vitium si negotium electionis *non* compleatur *intra tempus* a jure definitum.[5]

6. *De jure electi.*

Electionis negotio peracto restat ut *a*) consensus, *b*) confirmatio sequatur post (et quidem stricte loquendo) promulgationem scrutinii factam.

a) *Consensus electi* requirendus est infra dies octo,

[1] *Aichner,* Compend. p. 283.

[2] c. c. 7. 25. X (I. 6); c. 26. 6° (I 6.); *Santi,* I. 6. n. 27. p. 66; *Schmalzgr.* I. 6. n. 20.

[3] S. C. E. E. et R. R. d. 28. Nov. 1884; cf. *Santi,* l. c. n. 28.

[4] *Santi,* l. c. n. 26. p. 65.

[5] id. n. 29. p. 66.

computandos a momento electionis peractae.[1] Electus quidem a momento promulgationis electionis factae, i.e. post decretum acquirit jus ad rem imperfectum; postquam vero consensum dedit, acquirit jus ad rem perfectum.[2] Iste consensus dandus est *infra mensem*, computandum a die, quo innotuit electo ipsius electio, nisi aliter in Constitutionibus respectivorum Ordinum statuatur; datur quidem justa causa, qua potest consensum differe.[3] Idem valet, si agitur de religioso, qui indiget Superioris licentia ad acceptandum.[4] Electus religiosus non tenetur ad consensum praestandum. (At cum in quibusdam Ordinibus praevaluerit tractatus praevius de personis eligendis, quae generatim interrogantur utrum electionem accipiant necne, iste consensus videtur esse praestandus.) In Ordine Praedicatorum est consuetudo, ut electus dependeat a Superioris voluntate, utrum necne facultas detur, ipsi renuntiandi electioni.[5]

Si religiosus votum emiserit nullam acceptandi dignitatem, dispensatio dicti voti danda est a Summo Pontifice.[6]

Electus ad praelaturam, quamvis consentiat electioni,

[1] *Reiffenst.*; I. t. 6. n. 33.

[2] ibid. n. 31.

[3] *Reiffenst.* I. t. 6. n. 313.

[4] ibid. n. 314, e.g. quando Religiosus unius monasterii eligitur ad regimen alterius, indiget licentia immediati Superioris; alias nulla esset electio. c. 27. 6° (I. 6).

[5] *Piat.* I. 547.

[6] Const. "Honorum" *Urbani VIII;* (cf. *Piat.* I. 548. q. 5 et I. 190. q. 3). Fratres Min. non possunt absque licentia Generalis vel Provincialis electioni consentire.

nondum tamen confirmatus, non potest administrationem accipere; alias eo ipso privatur jure per electionem ipsi quaesito, nisi speciale a Summo Pontifice privilegium obtinuerint, uti e.g. Dominicani, F. F. Minores et Societas Jesu, vi cuius privilegii eo ipso, quo Generalis est electus, a Romano Pontifice censetur confirmatus.[1]

b) *Confirmatio* fieri debet *a Superiore immediato.* Unde Praelati exempti, generatim loquendo, confirmandi sunt a Summo Pontifice; non exempti ab Episcopo, cui subsunt.[2] At plerumque fit, quod Abbas e.g. etiamsi exemptus, confirmetur ab Abbate Generali vel Praesidente e.g. alicuius congregationis. Provincialis confirmandus est a P. Generali.[3]

Ex jure communi ille, *qui confirmandi habet facultatem,* antequam confirmationem proferat, *debet diligenter inquirere,* utrum norma canonum in electione fuerit servata et utrum persona electa habeat qualitates praesertim recensitas.[4] At multi auctores contendunt hoc non obtinere in electione Praelatorum Regularium, innixi praesertim Const. "Cum sicut accepimus," Sixti IV d. d. 5. Dec. 1475 quoad privilegium Ordini S. Hieronymi concessum supplendi defectus in electionibus subreptos. Quod privilegium idem Pontifex ad Fratres Praedicatores et Minores extendit.[5] Tamburini ait: "In illis

[1] *Piat.* I. 550.
[2] *Schmalzgr.* I. t. 6. n. 73; *Reiffenstuel,* I. t. 6. n. 321.
[3] *Piat.* I. 550.
[4] c. 7. X (I. 6).
[5] cf. *Piat.* I. 551.

electionibus, in quibus necessaria est confirmatio, si fiat absque causae cognitione, est ipso jure nulla. Debet enim confirmator de electionis forma electique meritis inquirere. Si autem electus esset valde notus et communiter uti dignus approbatus, tunc non est opus, illum examinare, cap. in Lateranen. de praebend. et dignit., cap. constitutus. 1. de appellat. Navar. cons. 2. num. 3. ut de elect."[1] Cui sententiae adscribi potest.

Superior *confirmans*, si electio est rite peracta, *denegare nequit confirmationem* absque injuria electi.[2]

Effectus confirmationis sunt: *a*) dat plenum et expeditum jus in re et *b*) jus ad administrationem.[3]

Vinculum, quod contrahitur monasterium inter et electum non est proprie spirituale ac indissolubile conjugium; ideoque Abbas unius monasterii recte ad aliud eiusdem Ordinis eligi poterit, licentia ab immediato Superiore obtenta.[4] Haec omnia consideranda sunt, prout Constitutiones uniuscuiusque Ordinis prae se ferunt.

c) *Benedictio* Praelatorum vel *Abbatum*, quae non est characterem imprimens ceremonia, non pertinet ad executionem officii Abbatialis ita, ut sit substantialis, sed accidentalis dumtaxat. Neque omnes Abbates benedicuntur, sed ubi moris est.—Ista benedictio non debet necessario fieri die Dominica (uti consecratio) sed potest fieri etiam illis diebus, quibus Ordines

[1] De Jure Abbat. Vol. II. disq. VI. q. II. n. 6.
[2] c. 3. X (I. 6).
[3] c. 15. X (I. 6).
[4] *Engel*, l. I. 6. n. 30.

conferuntur. Benedictio tamen semel facta non debet iterari, si ad aliud monasterium eligitur.[1]

7. *De mala electione.*

a) *Electio indigni*, si indignitas oriatur ex censura, est ipso jure invalida;[2] si oriatur ex alio capite, non est quidem ipso jure invalida, est tamen irritanda.

b) *Indignum eligentes* privantur ea vice jure activo et incurrunt suspensionem ab ecclesiasticis beneficiis per triennium.[3] Nota tamen, quod his poenis plectuntur ii tantum, qui scienter indignum eligunt, et isti post publicationem factam dumtaxat.[4]

§ 2. *De electione Abbatissarum.*

1. *De electione.*

a) "Abbatissa et Priorissa et quocunque alio nomine Praefecta vel Praeposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta,[5] et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit."[6] Si talis in eodem monasterio vel, absque magno incommodo, in alio haberi non potest, eligatur quae saltem trigesimum annum excessit et quinque post professionem vixit.[7]

[1] *Engel*, l. I. tit. 6. n. 58 sq. Non possumus subscribere inauditae hucusque opinioni cuiusdam scriptoris "De Pontificalibus Abbatum," Abbatiatum esse ordinem sacrum.

[2] *Schmalzgr.* I. tit. 6. n. 19.

[3] id. n. 20.

[4] ibid.

[5] cf. c. 12. C. XX. q. 1. (Greg. I.)

[6] *Trid.* de Regg. sess. XXV. c. VII.

[7] ibid.

b) Praeterea aliae *qualitates* requiruntur, quae si absunt, impediunt, quominus monialis in Abbatissam eligatur. Excluduntur ergo:

α) Infames tum juris tum facti.[1]

β) Bigamae, absque dispensatione Apostolica.[2]

γ) Viduae, absque dispensatione Apostolica.[3]

δ) Illegitimam non posse absque dispensatione Apostolica eligi, tenent plures contra Miranda, Diana, etc., qui negant dispensationem esse necessariam.[4]

ε) De iis, quae non sunt virgines item controvertitur.[5]

c) Ad *quemnam spectet electio Abbatissarum?* Dicendum est quod ad moniales monasterii, cui Superiorissa praeficienda est. Ut quis eligere possit, sufficit ut sit professa, etiamsi tacite[6] (si tamen hodie adhuc valet tacita professio pro monialibus). Sorores Conversae, quamvis de jure communi non prohibentur a suffragio ferendo, ex consuetudine tamen et specialibus legibus Religionum ad electionem non admittuntur.[7] Item pro aliquibus Ordinibus, e.g. S. Clarae, requiritur ut habitum detulerint per 3 annos.[8]

2. *De forma electionis:*

[1] *Barbosa*, Collect. in Conc. Trid. ad c. VII. sess. XXV. de Regg. n. 5, ed. Lugduni 1672, p. 397.

[2] ibid. n. 4.

[3] *Tamburini*, de Jure Abbatiss. disp. XXVII. q. XII. n. 1.

[4] *Barbosa*, l. c. n. 2.

[5] id. l. c. n. 3.

[6] *Tamburini*, l. c. disp. XXVIII. q. 2. n. 3. Tacita professio non valet amplius; cf. p. 83.

[7] ibid. q. V. n. 1.

[8] ibid. n. 3.

a) Ista, quamvis generatim fit et certe facienda est per scrutinium, potest fieri per compromissum.[1]

b) Electioni isti, sc. per scrutinium, praeesse debet *Superior ecclesiasticus*, sed non ingrediatur claustra monasterii, potius "ante cancellorum fenestellam vota singulorum audiat vel accipiat."[2]

c) Ratio voti secreti, quae juxta Trid. praescripta est, valet etiam pro monialibus.[3] Nec obstat, quod Superior cum duobus vel tribus testibus, tanquam scrutatoribus, qui lege secreti obstringuntur, adsit et oretenus vota excipiat.[4]

d) In monasteriis Episcopo subjectis, Episcopus sive per se, sive per alium interesse potest electioni; alias, si Episcopus se interesse velle declaraverit, electio irrita foret et proin repetenda.[5]

e) In monasteriis, Regularibus subjectis, Superior Regularis una cum Episcopo, qui per se vel per alium interesse potest, electioni praesidet. Proin Superior Regularis certiorem reddere tenetur Episcopum de tempore electionis. Episcopo liberum est, ut declaret (in Synodo) se nolle interesse.[6]

f) Adnotatio suffragiorum in istis monasteriis (Regg. subjectis) non pertinet ad Episcopum nec ad eius Vicarium nec Cancellarium, sed ad Praelatum Regularem, cui subjectum est monasterium, sciente tamen et

[1] *Tamburini*, d. XXVIII. q. VIII. n. 1.
[2] Con. *Trid.* de Regg. sess. XXV. c. VII.
[3] *Richter-Schulte*, Conc. Trid. ed. Neapol. 1859, p. 409. n. 4.
[4] ibid.
[5] ibid. n. 3.
[6] ibid. p. 410.

audiente ea Episcopo. Accessus potest adhiberi in electione Abbatissarum.[1]

g) Tandem notandum quod neque Episcopus neque Praelatus Reg. suffragium potest ferre in electione Abbatissae.[2]

h) Requiritur, ut duae partes monialium consentiant in aliquam monialem; alias, si dissentiant moniales, Episcopus potest nominare quam magis idoneam judicaverit.[3]

3. *De Confirmatione.* Jus confirmandi Abbatissas electas in monasteriis Regularibus subjectis minime ad Episcopum spectat, sed ad Praelatum Regularem.[4] Si Episcopo sit subjectum monasterium, ab ipso confirmetur; si S. Sedi immediate monasterium est subjectum, a Pontifice ipso, sc. per Procuratorem vel Legatum.[5]

4. Quoad *Benedictionem Abbatissarum,* dicendum est, quod non omnes Abbatissae illam accipiant, sed solummodo perpetuae. Si tamen accipiant, intra annum a die confirmationis computandum, danda est benedictio.[6]

[1] S. C. E. E. et R. R. 19. Junii 1671; Bizz. p. 446; *Smith,* Compendium, n. 274.

[2] *Richter-Schulte,* Trid. p. 410.

[3] Ita decisum esse refert juxta auctores varios *Barbosa,* Coll. sess. XXV. de Regg. c. VII. n. 6. Aliter *Engel,* l. I. tit. 6. n. 40. Quomodo Praesidens procedere debeat, cf. *Tamburini.* de Jure Abbatiss. disp. XXVIII. q. III.

[4] S. C. C. cf. *Richter-Schulte,* Trid. p. 545.

[5] *Tamburini,* l. c. XXIX. q. I. n. 1.

[6] id. q. IV. n. 3 sq.

Generatim loquendo, officium Abbatissae per tres tantum annos perdurat ex Const. Gregorii XIII "Exposcit" d. d. 1. Jan. 1583, quamvis haec const. pro Italia et utroque Siciliae regno tantum stricte valet. Barbosa tamen, juxta Aldanum, asserit decisum fuisse a S. C. E. E. et R. R. d. 22. Maii 1602 hoc valere pro omnibus monialibus.[1]

§ 3. *De Postulatione.*

1. *Postulatio definitur:* "Capituli petitio destinata Superiori, ut ad praelaturam ecclesiasticam dispensative dignetur admittere illum, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest."[2]

Dividitur in *solemnem* et *simplicem*. Posterior habetur, si consensus vel licentia dumtaxat Superioris, cui postulatus subest, petitur, ut in officium admittatur, e.g. si Religiosus in Episcopum eligitur. Prior adest, si revera impedimentum habetur.

2. *Postulare possunt omnes* qui jus eligendi habent. Si postulatio cum electione concurrat, necesse est, ut postulantium numerus sit duplo maior eligentium.[3] Si vero omnes postulare concurrunt, discriminantur vero circa personam, illa postulata censebitur, quae refert maiorem partem.

3. *Postulari* possunt qui eligi nequeunt et simul possunt promoveri ad praelaturam. Unde distingue inter indignitatem et inhabilitatem. Indignus quis

[1] *Collect.* de Jure Regg. sess. XXV. c. VII. n. 10.
[2] *Santi*, Praelect. I. t. 5. n. 1.
[3] c. 40. X (I. 6).

constituitur ex delicto; inhabilis ex defectu, qui opus ministerii sacri impediat. Indignus postulari non potest; inhabilis potest, si ista inhabilitas non sit juris divini (e.g. sexus femininus, amentia etc.) et defectus non sit, talis qui impediat, quominus opus ministerii honeste et utiliter perficiat postulatus. Postulari ergo possunt: 1° qui laborant simpliciter defectu natalium, 2° qui ordinem requisitum ad ministerium non habent, 3° qui aetate requisita non gaudent, 4° qui spirituali vinculo cum alia ecclesia (resp. beneficio) connexi sunt.[1]

4. *Postulatio fit ad Romanum Pontificem*, si agatur de solemni, saltem ordinarie. Extraordinarie ad immediatum Superiorem, si hic vi privilegii vel consuetudinis legitimae, gaudeat jure dispensandi super talem defectum.[2] Simplex postulatio fit ad Superiorem, cui immediate subest postulatus.[3]

5. *Effectus postulationis* nullus est antequam ista admissa sit a Superiore, proin nullum jus confert, sicut electio; si admissa est, jus ad rem, uti electio.[4] Potest vero fieri, ut consensus Superioris (postulatio simplex) fiat ante electionem propriam, et tunc currunt omnia ut in propria electione, sc. postulatus—electus acquirit jus ad rem.

§ 4. *De Praesentatione.*

1. Praesentatio fundatur in *jurepatronatus*. Unde, ut rite et omni ex parte illa intelligi posset, primum dicendum nobis esset de jurepatronatus. Verum pro

[1] *Santi*, l. c. n. 6 sq.
[2] *Santi*, l. c. n. 4.
[3] *Schmalzgr.* I. V. n. 13.
[4] ibid. n. 3.

hac nostra regione nullum juspatronatus agnoscitur, asserente ita Concilio Baltimorensi provinciali I (1829): "Nullum jus patronatus cuiuscunque generis, quod sacri agnoscant canones, competere nunc alicui personae, laicorum congregationi, aedituorum coetui seu aliis quibuscunque personis in hac provincia."[1] Breviter nunc tangamus quae ad praesentationem stricte pertinent.

2. Praelaturae sive dignitates primae in *ecclesiis conventualibus* a jurepatronatus saltem laicali, quatenus jus praesentandi continet, sunt exclusae; nisi forsitan patronus laicus obtinuerit speciale privilegium Sedis Apostolicae quoad praesentationem, vel nisi hoc sibi reservaverit in limine fundationis cum assensu Rom. Pontificis, aut nisi consuetudo immemorialis cum fama privilegii suppeditet.[2]

3. *Definitur* praesentatio "jus designandi et offerendi clericum idoneum (religiosum sive regularem), ab Episcopo vel alio competente Praelato in ecclesiastico officio vacante necessario instituendum."[3] Definitio patet. Competens Praelatus quoad praelaturas exemptorum regularium imprimis est Romanus Pontifex, qui utique jus suum alii personae dignitate ecclesiastica praeditae cedere potest, e.g. Generali respectu Provincialium; quoad non exemptorum praelaturas, Superior respectivus.

4. *Conditiones* praesentationis sunt sequentes:

[1] *Collectio Concil. Lacensis* tom. III. col. 27. n. VI.
[2] cf. *Wernz*, Jus Decretal. tom. II. n. 410. p. 509.
[3] id. n. 424.

a) ut fiat a *patrono habili et competente*, i.e. ab illo, qui est in possessione juris nominandi, sive iste possessor sit persona unica sive persona juridica, e.g. capitulum vel corporatio;[1]

b) ut *persona praesentata* sit *digna et idonea*, et ipso jam tempore praesentationis *capax* institutionis canonicae juxta normas juris communis et legem fundationis et statuta particularia.[2] Ita certe religiosus unius Ordinis non esset persona idonea quae praesentetur ad praelaturam alterius Ordinis; nec esset idonea, quae solemnem professionem tempore praesentationis nondum emisisset. Si patronus est laicus, debet praesentare simpliciter dignum; si patronus est ecclesiasticus oportet praesentet digniorem.[3] Examen, an omnes qualitates adsint, pertinet ad illum cui competit jus instituendi praesentatum;[4]

c) ut fiat *intra tempus* a jure praescriptum, i.e. infra 4 menses a die habitae notitiae de vacatione, si agitur de patrono laico; et intra sex menses, si agitur de patronatu jure ecclesiastico;[5]

d) ut *forma* legitima observetur. Supposito, ut supra (3) diximus, praesentationem faciendam esse ad legitimum Superiorem, remanet observandum, ipsam posse confici sive scriptis sive oretenus, sive per patronum ipsum, sive per procuratorem, debere vero fieri gratis

[1] *Santi*, l. III. tit. 38. n. 31; Vol. III. p. 405.
[2] *Wernz*, l. c.
[3] ibid.
[4] *Phillips*, Compendium Juris Eccles. ed. 3, 1875, p. 272. § 144.
[5] id. p. 274; *Wernz*, l. c.; *Santi*, l. c. n. 35.

et sine simonia. Simoniace facta praesentatio est ipso jure nulla et irrita.[1]

5. *Effectus* praesentationis quoad praesentatum in hoc consistit, ut iste post perfectam et acceptatam praesentationem statim acquirat *jus ad rem*, si praesentatio facta sit a patrono ecclesiastico; si vero facta sit a patrono laico, solummodo post terminum (4 menses) elapsum.[2] Facta praesentatione, ut praesentatus acquirat *jus in re*, accedat necesse est *institutio canonica*, quae vim habet confirmationis.[3] Restat dein solummodo, ut, si Abbas sit, recipiat benedictionem, ubi mos ita fert.

Cum jurepatronatus connexionem quandam habet ille usus, qui permittebat *abbatias* vel monasteria *in commendam* dare. Invaluit iste usus jam tempore Gregorii Magni (590–604)[4] et perduravit usque ad nostra tempora, e.g. in celeberrimo monasterio Sublacensi primitivo O. S. B. *monasterio*. Consistit vero iste usus in hoc ut beneficium ecclesiasticum (abbatia) alicui personae sive ecclesiasticae sive laicae ita conferatur, ut ista temporali fruatur emolumento et quandoque, si fuerit persona ecclesiastica, etiam jurisdictione polleat quoad beneficium tale, quin tamen officium spirituale adnexum exercuerit.[5] Ita potuit fieri ut

[1] *Wernz*, l. c. n. 427.

[2] id. n. 428; *Phillips*, l. c. p. 275. Patronum laicum propterea dicunt habere "jus variandi," usque 4 menses fuerint elapsi.

[3] *Wernz*, l. c. n 429.

[4] cf. *Thomassini*, "Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina;" P. II. l. III. c. X. n. 4 sqq.

[5] cf. *Kirchenlexicon*, "Commende" (Permaneder).

abbatia quaedam habuerit duos Abbates, actualem et commendatarium. Ex historia patet graves invaluisse abusus hac in re,[1] qui certe Conc. Tridentinum permoverunt ut ederet decretum contra tales abusus. Nam voluit ut conventibus praeficerentur regulares personae, eiusdem Ordinis expresse professae; item ut capita Ordinum vel monasteriorum habeant solemniter professos, qui commendam obtinuerint, tanquam Superiores.[2]

Quoad *potestatem Abbatis commendatarii* distinguendum est: *a*) si omnia jura data sunt in commendam e.g. in monasterio deserto a monachis, tunc commendatarius habet omnia jura et privilegia, e.g. exemptionis, qualia actualis haberet Abbas; *b*) si adhuc viget vita monastica in tali monasterio in commendam dato, tunc opus est alia distinctione: *α*) si existit separata mensa abbatialis et alius Superior regularis una cum Abbate commendatario monasterio praeest, tunc abbas commendatarius—in hoc casu debet esse persona ecclesiastica—gaudet omnibus juribus et privilegiis actualis Superioris, qui se habet tanquam Prior claustralis ad Abbatem actualem; *β*) si non existit mensa abbatialis separata pro Abbate commendatario, tunc iste non gaudet spirituali jurisdictione in monasterio, sed tantum auctoritate quoad bona temporalia.[3]

[1] cf. *Thomass.* l. c. cc. X–XV. et cc. XIX–XX.
[2] sess. XXV. de Regg. c. XXI.
[3] *Kirchenlexicon,* "Abt," n. VII. col. 135 sq.

Articulus II.

De objecto Regiminis ad intra.

Postquam tractatum est de subjecto regiminis, quaerendum est jam, ad quodnam se extendat istud regimen ad intra, seu de objecto regiminis sive de potestate Praelati. Porro ista potestas, uti supra innuimus, est triplex: dominativa, jurisdictionalis et coercitiva.

Antequam tamen ad expendendum triplex istud caput accedimus, dicendum est aliquid de exemptione regularium; quippe cum multa, quae de triplici Praelatorum potestate dicuntur, absque notione exemptionis vix intelligerentur, vel saltem rationem de extensa Praelatorum potestate reddere quis vix posset. Sit ergo ad praeambuli instar:

De Exemptione Regularium.

1. *Definitur* exemptio Regularium: "Immunitas regularium a jurisdictione Episcoporum vel dioecesium Ordinariorum, item Vicariorum Apostolicorum aliorumque qui ordinariam in certis territoriis ecclesiasticis auctoritatem exercent.[1]

2. *Dividitur a*) Exemptio: in personalem, localem et mixtam prout personas tantum, aut loca dumtaxat aut demum utrumque afficit.

[1] cf. *Studien u. Mittheilungen O. S. B.* 1900, p. 78. In terris missionum Vicarii Apostolici gaudent delegata dumtaxat potestate.

b) Item: potest considerari exemptio tam in capite quam in membris, et in capite tantum. Exemptio in capite et in membris habetur, quando non solum principalis locus (e.g. monasterium) sed et beneficia et parochiae loco principali subjectae exemptione gaudent.[1]

c) Tertio: exemptio est vel a lege dioecesana vel a lege jurisdictionali. Prior est immunitas regularium a tributis varii generis Episcopo solvendis, ad quorum solutionem saeculares clerici tenentur. Posterior in eo consistit, quod regulares legislativae, judiciali et coercitivae Ordinariorum potestati subtracti existunt.[2]

d) Demum certa species exemptorum est, quando exempti dicuntur aut "*nullius dioeceseos*" aut "in dioecesi quidem, sed non de dioecesi." Prius genus competit Abbatibus resp. Praelatis, qui per omnia Episcopis comparantur, exclusa ordinis potestate; vocantur "*Abbates nullius*" (sc. dioeceseos). Posterior exemptio competit illis communitatibus vel Praelatis, qui quoad suas personas et immediate subditos (communitatem religiosam) a jurisdictione Ordinarii immunes sunt, separatum autem populum (excepta communitate) aut territorium non habent.[3]

3. Generatim loquendo, *exemptio habet de ratione privilegii*, quod quidem etiam praescriptione 40 annorum potest acquiri.[4] At cum Episcopus habet "intentionem fundatam in jure," tale privilegium, si

[1] *Engel*, l. 6. tit. 38. n. 22, 24.
[2] *Studien*, etc. p. 79.
[3] *Engel*, l. c. n. 23.
[4] id. n. 26.

forsitan lis circa ipsum oriatur, stricte probandum est,[1] nisi forsitan sit notorium.

4. Si nunc quaeritur, *quaenam exemptio competat Regularibus* (intellige de Ordinibus formalibus), dicendum est, mixtam illis certe competere, item regulares exemptos esse tum a lege dioecesana tum a lege jurisdictionali (generatim loquendo). Existunt etiam Praelati vere nullius, e.g. Abbas Montis Cassini, in Italia, etc. Exemptio tam "in capite quam in membris" raro illis conceditur, si omnino hodie concedatur. Abbatia "nullius," e.g. esset talis.

5. Breviter aliquid dicatur *de historia exemptionis*:[2] *a*) Species aliqua exemptionis jam primis monachismi temporibus apparet, utique adhuc magis indeterminata. Illâ primâ epochâ exemptio consistebat in uno alterove privilegio, e.g. quoad electionem Abbatis. Respicit etiam potius *monasteria singula*, magis conspicua; ita fuisse, usque ad saeculum nonum, non immerito asseres.

b) Quando jam plura monasteria in unam *congregationem* coadunata sunt, exemptio omnibus congregationis huiusmodi monasteriis conferebatur, e.g. congregationi Cluniacensi, postea etiam congregationi fundatae a S. Roberto, O. Cist., praesertim sub S. Bernardo.

Hac periodo etiam factum est, ut multa monasteria se "S. Petro" in proprium dederint, ut eo magis

[1] Engel, l. c. n. 27.

[2] Plura videas apud *Bouix*, de Jure Reg. II. p. 87–120 contra *Thomass.* Vet. et nova disc. l. III. P. I. c. 26; *Studien u. Mittheilg. O. S. B.* p. 79 sq.

Summi Pontifices jura eorum defenderent, quo minus tale subsidium a regali potestate expectandum erat. Immunitatem a quocunque interventu episcopali monasteria maxime tempore "investiturae" acceperunt, ut eo fidelius Apostolicae Sedi adhaererent.[1] Hoc usque ad circa saec. XIII.

c) Tandem, una cum novorum *Ordinum*, praesertim *Mendicantium* ortu, exemptio magis praevalebat, praesertim cum universitatibus idem privilegium saepe saepius concessum fuerit. Non potuit utique ista concessio, quin dissensiones et querelas excitaret tum Episcoporum tum etiam litteratorum.

d) Demum *Concilium Tridentinum* "Mare magnum" privilegiorum fere stagnavit. Quod praesertim Pius IV Bulla sua "In Principis Apostolorum" 1564 perfecit, qua omnia et singula privilegia, quae Tridentinis decretis repugnabant, abrogavit. At his non obstantibus, fere omnes Ordines veteres Tridentino antiquiores multa privilegia, quae exemptionem tangunt, recuperabant, novis dotati, quae etiam recentioribus sunt concessa. Immo privilegio exemptionis gaudent aliquae congregationes religiosae, quarum membra inter regulares non computantur, uti Passionistae[2] et Redemptoristae.[3] His dictis de exemptione, ad triplicem potestatem Superioribus Religionum exemptarum competentem evolvendam accedamus.

[1] cf. *Tübinger Quartalschrift*. 1900. p. 103 sq.

[2] cf. *Acta S. Sedis*, t. I. pp. 91–99.

[3] ibid. pp. 785–786, ex decreto S. C. E. E. et R. R. d. 16. Sept. 1864.

§ 1. *De potestate dominativa.*

1. Potestatem dominativam *competere* diximus *omnibus Superioribus ratione voti obedientiae.* Extensio proin ipsius est metienda ex materia ipsius obedientiae. Porro quae ad hanc pertineant, jam supra dictum est, ubi de obligationibus religiosorum sermo fuit. Unica quaestio remanet tractanda; scilicet: potestne Superior introducere aliquam mitigationem quoad Regulam (sive Constitutiones a Summo Pontifice approbatas) vel mitigatam ad pristinum rigorem reducere? Quoad primam partem respondendum est, Superiorem, sive infimum sive supremum *non posse mitigare Regulam* (sive Constitutiones) absque Sedis Apostolicae approbatione vel consensu. Et hoc est certum quoad substantiam regulae (sive Constitutionum). Utrum vero certi "usus," qui tempore approbationis Regulae (sive Constitutionum) non extiterunt substantiam Regulae (sive Const.) minime mutantes, non possint introduci a Superiore sive supremo, sive hoc connivente, ab infimo, non constat. Videtur tamen talium usuum introductionem (non loquimur de his quae vota violarent, e.g. peculio) non excedere limites potestatis dominativae.—Quoad secundam partem quaestionis dicendum est mitigationem posse aboleri seu Regulae *pristinum rigorem posse introduci* sive per supremum Superiorem, si haec potestas intra ipsius limites est, sive certe per Capi ulum generale. Quoad *obligationem* vero hanc *mutationem subeundi* quoad singula membra distingue: *a*) si mitigatio inducta fuerit per S. Sedis

dispensationem et reformatio fiat a Capitulo generali (sive Superiore supremo,—infimis haec potestas certe non competit nec quoad eorundem conventus), illi qui professionem ante reformationem emiserunt, non possunt obligari ad reformationem subeundam; *b*) si mitigatio inducta fuerit per consuetudinem legitimam et reformatio fit a Capitulo generali, professi sub mitigata Regula (sive Constit.) possunt obligari ad reformationem observandam, nisi contrarium, dum profitebantur, expresse declaraverint; *c*) si reformatio introducitur auctoritate S. Pontificis (quocunque modo facta sit mitigatio), Superior omnes religiosos obligare potest ad illam subeundam.[1]

2. Quoad *Superiorissas* dicendum est, ut supra adnotavimus, eas gaudere, non quidem jurisdictionali, verum dominativa potestate; unde auctores generatim dicunt:

a) eas posse monialium irritare vota sive de re supererogatoria sive de re circa Regulam (sive Constitutiones); non vero vota propria Religioni, quae nec immutare valent;

b) posse declarare religiosam hic et nunc non teneri hâc vel llâ observantiâ regulari; non vero posse simpliciter dispensare, quippe cum nec dispensare possint in legibus Ecclesiae, v.g. jejunii, abstinentiae, officii recitationis. Dicit quidem S Alphonsus[2] eas bene posse dispensare ex commissione Praelati, quam facul-

[1] cf. *Ferrari*, de Statu Religioso, Romae 1896, p. 277 sq.; *Bouix*, II. p. 449 sqq.

[2] *Moral.* l. IV. n. 53.

tatem aliqui repetunt ex communicatione privilegiorum;[1]

c) posse monialibus certas preces pro certis personis aliisque necessitatibus indicere recitandas, praecipereque ut missae concionique vel aliis id generis operibus intersint;

d) posse prohibere alicui moniali ne certa die, propter transgressionem ("externam, gravem," Decr. S. C. E. E. et R. R. "Quemadmodum," n. V. d. 17. Dec. 1890) accedat ad S. Synaxim aut ne intersit orationibus in communi fieri solitis; at non posse subditas obligare ut frequentius aut minus frequenter s. communionem recipiant; (hoc ex eodem decreto cit. reservatur confessario.)

e) posse privatim, non vero, propter defectum jurisdictionis, publice et solemniter benedicere aut monialibus praedicare.[2]

§ 2. *De potestate jurisdictionali.*

1. *Superiores Ordinum gaudent potestate jurisdictionali*, quae vocatur quasi-episcopalis et haec competit non solum Praelatis supremis, sed etiam infimis,[3] utique gradu diverso pro dignitate et officio. Est *ordinaria*, quia concessa est iis vi muneris.[4]

Jurisdictio, quae competit *inferiori* Superiori regulari

[1] cf. *Craisson*, n. 3041.
[2] cf. *Bouix*, II. p. 458 sqq.
[3] *Suarez*, de Relig. tr. III. l. II. c. 2. n. 9.
[4] *Piat.* I. 563.

non potest limitari absque legitima causa, si agatur de potestate vi muneris inferiori competente. Secus vero, si agatur de extraordinaria delegata a Superiore.[1]

Porro ista jurisdictio competit *omnibus Superioribus*, qui praeficiuntur Ordinibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes Religiones virorum.[2]

2. *Objectum* huius potestatis jurisdictionalis est *triplex*, sc. legislativa, dispensativa, absolutiva potestas.

a) Quoad *potestatem legislativam.* Hic observa distinctionem inter legem, statutum et praeceptum. *Lex* vocatur "ordinatio stabilis Superioris ecclesiastici competentis, fidelibus modo obligatorio imposita."[3]

Statutum vocatur "ordinatio ab eo facta, qui habet curam societatis imperfectae"[4] (sc. societatis, quae non est sibi finis supremus dependetque in mediis ab altera, sc. perfecta).

Praeceptum vero est aliqua ordinatio non ita stabilis, ut non expiret morte legisferentis, et generatim lata pro certis dumtaxat personis vel aliqua certa communitate.[5] Sit ergo:

1° Potestas legislativa in Ordinibus religiosis est proprie potestas *condendi statuta*, non vero leges, quia Ordines semper sunt societates imperfectae.

2° Ista potestas (condendi statuta) de jure communi censenda est residere solummodo *penes supremum*

[1] *Suarez*, l. c. n. 23.

[2] *Bouix*, II. p. 403.

[3] *Aichner*, Compend. p. 721; cf. *Lehmk.* Theol. Moral. I. n. 67. S. *Thom.* 1–2, q. 90. a. 4.

[4] *Bouquillion*, Theol. Moral. n. 192.

[5] *Lehmk.* I. n. 72.

totius Ordinis tribunal, sc. Praelatum supremum. si tali potestate est praeditus, vel Capitulum generale.[1]

3° Religiosi Praelati seu *Superiores* immediati et *locales* ex potestate jurisdictionis *praecepta imponere possunt. Superiorissae* vero ista imponunt, non vi jurisdictionis, sed solum *vi potestatis dominativae,*[2] quae praecepta obligant moniales in conscientia.[3]

4° At hic observa, etiam supremum Ordinis tribunal non posse ferre statuta, quae Regulae (resp. Constitutionibus) Ordinis non sunt consentanea.[4] Hoc nempe esset immutare Regulam, quod absque S. Sedis auctoritate fieri nequit. Si vero *nova statuta* conduntur, quae reductive sub regula comprehenduntur, talia sunt et valida, et obligatoria quoad omnes professos. Si non sunt reductive comprehensa sub Regula, non sunt obligatoria quoad jam professos, sed tantum quoad profitendos[5] (intellige si nova statuta sint condita auctoritate dumtaxat Capituli, absque S. Sedis interventu).

5° *Constitutiones* (prout a Regula distinctae) *non possunt mutari* a Praelatis cuiusvis nominis, si istae fuerint a Summo Pontifice confirmatae, praesertim si iste suae confirmationi adjecerit clausulam irritantem. Si vero confirmatae sunt in forma communi tantum, tunc immutari possunt a Capitulo generali; si in forma specifica (cum causae cognitione apposita, singulis

[1] *Bouix,* II. p. 439.
[2] *Lehmk.* I. 120.
[3] *Bouix,* II. 455 sqq.
[4] *Suarez,* de Rel. tr. VIII. l. II. c. II. n. 4.
[5] *Bouix,* II. 440 sqq.

statutis diligenter expensis, nulla adjecta conditione, vel cum clausula· motu proprio, atque ex certa scientia) tunc non possunt immutari absque Pontificis consensu.[1] *Interpretatio Constitutionum* pertinet ad supremum Praelatum vel Capitulum generale, nisi eaedem Constitutiones aliter constituant.[2]

b) *Quoad potestatem dispensativam.* Cum Praelati regulares jurisdictione quasi-episcopali gaudeant, iisdem potestas dispensativa denegari nequit. Comprehendit vero ista potestas: leges ecclesiae, statuta et regulas Ordinis, poenas et irregularitates.

1° Praelati (etiam infimi seu locales et immediati) *dispensare possunt in legibus Ecclesiae communibus*, ut: jejunio, abstinentia, observatione festorum, aliisque rebus frequenter occurentibus. Id tamen nequeunt nisi in singulis casibus; ergo non cum tota communitate simul.[3] Non est tamen abs re notare responsum S. C. S. O. d. 20. Dec. 1871 quoad praeceptum jejunii et abstinentiae: "Regulares, *speciali voto abstinentiae* (quale e.g. Minimi S. Francisci a Paula emittunt) *a carnibus non obstrictos*, gaudere indulto circa observantiam ciborum tempore quadragesimae et per annum pro fidelibus promulgato ab Ordinariis locorum nomine S. Sedis Apostolicae"—dispensatione a regulae praescriptis, si obstent, per Superiores concessa.[4] In isto ergo casu

[1] *Piat.* I. 569.

[2] ibid.

[3] S. C. C. d. 15. Dec. 1725; *Lehmk.* I. n. 166.

[4] cf. *Putzer*, Comm. in Facultates Apostolicas, Benziger 1898, n. 55. Idem adnotat ex S. C. S. O. d. 18. Nov. 1891: Religiosi

Superiores possunt dispensare cum tota communitate. Extra monasterium, e.g. expositi, regulares certe possunt uti isto privilegio quoad observantiam ciborum, nisi forsitan Superior (e.g. ratione poenae vel rationabili ex causa) directe istius privilegii usum prohibuerit et pro extra monasterium degentibus. Praelati in legibus Ecclesiae possunt cum semetipsis dispensare, sed convenientius hoc fit per confessarium (etiam specialiter ad hoc electum [1]).

2° In *praeceptis*, sive Regulae sive Constitutionum, cum individuis, non vero cum communitate dispensare valent, dummodo dispensatio sit talis qualis a Regula sive Constitutionibus non prohibetur ne detur.[2] Item dispensare possunt in subditorum votis, etiam Novitiorum,[3] quae non sunt substantialia Religionis; nisi vota sint Pontifici reservata vel in favorem tertii facta, quibus in casibus Summus Pontifex dumtaxat dispensare valet (dummodo votum in favorem tertii, istum secundarie tantum attingat).[4] Ita possunt Praelati regulares, ex commissione saltem Summi Pontificis, dispensare in voto transeundi ad strictiorem Ordinem.[5] At non possunt dispensare in votis simplicibus, quae in aliquibus Ordinibus votis substantialibus adduntur e.g. missioni-

Franciscales vero indulto dioecesano pro feriis sextis uti nequeunt; ibid.

[1] *Piat.* I. 571.

[2] *Tamburini*, de Jure Abbat. Vol. III. d. IV. q. VIII.

[3] *Lehmk.* I. n. 473.

[4] id. n. 474.

[5] id. n. 473.

bus inserviendi. Hoc quippe pertinet ad Summum Pontificem.[1]

3° Quoad dispensationem *a poenis* haec dicenda sunt:

a) Diximus *dispensationem*, non absolutionem a poenis, quippe cum adsit differentia inter utramque. Nam e.g. a censuris quis absolvere potest, quoties non sunt reservatae Superiori: dispensare autem nequit, nisi quando id ei concessum reperitur.[2]

b) *Poenae sunt variae:* α) ex *natura ipsarum* sunt aut spirituales aut temporales, prout aliquod bonum spirituale aut temporale adimunt, et si corpus laedunt, vocantur corporales; β) *ratione modi* quo, infliguntur, sunt aut ferendae aut latae sententiae. Priores nonnisi post sententiam condemnatoriam incurruntur, dum posteriores jam ipso facto, quo crimen aliquod perpetratur, quod in jure tali poenâ determinatur, incurruntur—saltem in foro interno. Ut vero poena criminis publici etiam pro foro externo sortiatur effectum, sententia judicis declaratoria requiritur. Aliquando etiam ista distinctio aliter denotatur, sc. ab homine et a jure, quamvis utraque possit esset ferendae et latae sententiae; γ) *ratione finis* (primarii) poenae sunt aliae medicinales, aliae vindicativae; prout imprimis emendationem delinquentis aut vindictam criminis respiciunt. Inter medicinales enumerantur praesertim censurae,[3] de quibus hic non agimus, quippe cum potius respici-

[1] *Lehmk.* I. n. 743. Aliter alii sentiunt, cf. *Piat.* I. 572.

[2] cf. *Ballerini-Palmieri*, Opus Theol. Moral. Vol. VII. p. 321; (ed. 2).

[3] cf. *Aichner*, Compend. ed. 8. 1895, p. 751 sq.

ant potestatem absolutivam. Inter vindicativas enumerantur: privatio vocis activae et passivae, cessatio a divinis et privatio sepulturae ecclesiasticae. Si in jure simpliciter quis dicitur privatus "voce," id de activa tantum intelligitur. Est autem vox activa jus in capitulis (sive saecularis sive regularis cleri) eligendi et decernendi; vox vero passiva est juridica habilitas, ut quis possit eligi. Privatio vocis passivae eo spectat, ut quis nequeat eligi ad officia honoris et praeeminentiae; ad numera autem onerosa, ut lectoris, concionatoris, magistri novitiorum, sacristae, oeconomi potest eligi.[1]

c) Quoad dispensationem a poenis probe *distinguendum inter "ab homine" et "a jure"* latam poenam. Et in priore casu iterum distingue: Si lata est per sententiam particularem ad modum praecepti a Superiore, tunc dispensat qui eam inflixit, vel successor vel Superior, non autem inferior. In poenis ab inferiore Praelato, e.g. Provinciali, Abbate (locali) latis communiter docent auctores non posse Praelatum superiorem, e.g. Generalem vel Abbatem generalem (Praesidem) contra infligentis voluntatem dispensare, nisi via appellationis causa ad ipsum deferatur. Post mortem vero vel cessationem muneris Praelati inferioris, Superior poterit, justa interveniente causa, eiusmodi poenam relaxare.[2] Si sententia particularis est a judice, dispensat tantum legislator; nam judex, lata sententia, desinit esse judex. Unde Praelatus superior vel Concilium generale, non vero inferior vel Concilium provinciale, poterit dis-

[1] cf. *Ball.-Palm.* l. c. p. 322.
[2] cf. *Piat.* I. p. 574. 3.

pensare a tali poena; in casu nempe, quo judex representavit supremum tribunal. *Si poena lata est a jure*, tunc duplex consideratio obtinet: est nempe vel reservata vel non. Si prius, ille dispensat, cui reservata est et cui is commiserit. Unde si Summo Pontifici est reservata, Praelati regulares, nisi vi privilegii specialis, non poterunt ab eiusmodi poena, e.g. privatione vocis activae et passivae, cessationis a divinis—cessationis sententiam religiosi quoque exempti, etiamsi ab Episcopo latam, servare debent—dispensare. Si non est reservata poena a jure lata, non est sufficiens ratio ista absentia reservationis, ut dicatur facta inferioribus (praelatis) facultas dispensandi, sed concessio facultatis requiritur.[1]

Porro observa ex auctorum sententia, fundata in jure decretalium, eos qui habent jurisdictionem episcopalem dispensare posse in poenis latis a jure ob delicta minora. Minora delicta sunt: adulterium, furtum, sacrilegium, perjurium hisque inferiora; maiora delicta sunt: homicidium, simonia, haeresis et huiusmodi. Quod potest autem Episcopus, potest e plurium sententia etiam Praelatus regularis in suos.[2] "Possunt Regulares (Praelati) dispensare," inquit S. Alphonsus,[3] "cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus et poenis contractis ratione delicti, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci, etc., etsi illae reservatae sint Pontifici,

[1] cf. *Ball.-Palm.* l. c. p. 321.

[2] ibid. p. 322.

[3] de *Privilegiis*, c. V. n. 105, ed. Paris 1875, Theol. Moral. Vol. IV. p. 380.

ut aiunt Suarez, Sanchez, Pellizarius et Salmanticenses, etc."

4. Quoad dispensationem ab *irregularitatibus*. *a*) Definitur irregularitas "impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum et consequenter usum eorum."[1] Auctores loquuntur de irregularitate ex defectu, et de illa ex delicto, quae induit rationem poenae.

b) *Irregularitas tollitur per dispensationem.* Secundum S. Alphonsum[2] Praelati regulares privilegio gaudent dispensandi universim suos subditos in omnibus irregularitatibus, excepta proveniente ex homicidio voluntario. Ita ex Const. Pii V "Ad immarcescibilem" d. 6. Feb. 1567 quoad Theatinos. Amplius privilegium idem Pius V Const. "Dum ad Congregationem" d. 15. Junii 1571 concessit Congregationi Cassinensi O.S.B., dispensandi nimirum ab irregularitate contracta ob crimina sive publica sive occulta homicidii voluntarii seu mutilationis membri, sed in foro conscientiae tantum, suos subditos, etiam novitios, dummodo haec duo crimina commissa non fuerint post ingressum in Religionem. Advertendum est tamen in tali concessione haud comprehendi homicidium per industriam et per insidias patratum, neque homicidium ex procuratione abortus foetus animati.[3] Insuper communiter docent auctores Praelatos regulares non posse suos subditos dispensare ab irregularitate proveniente *α*) ex

[1] *Suarez*, de Censuris, disp. XL. sect. I. n. 2.
[2] de Censuris, n. 469. Theol. Moral. l. VII. c. V. p. 349.
[3] *Ball.-Palm.* l. c. p. 341.

aliquo defectu corporis enormi vel etiam animi vitio et defectu, ex quo fidelibus generari posset scandalum; *β*) ex bigamia, quam alii tamen, uti Alphonsus, non excipiunt a potestate Praelatorum dispensativa;[1] *γ*) ex defectu natalium quoad praelaturas,[2] nisi forsitan speciale privilegium obtinuerint etiam dispensandi quoad praelaturas. Dispensatio quae impertitur occasione visitationis se extendit ad irregularitates occultas, non vero publicas.[3] Demum observa potestatem dispensativam valere etiam extra forum poenitentiae,[4] saltem in iis casibus, qui non expresse eximuntur, uti in privilegio Congregationi Cassinensi concesso, supra adducto.

c. Quoad potestatem absolutivam.

1. Ista potestas respicit praesertim censuras et casus reservatos. Porro quoad *censuras* attendi oportet ad Const. "Apostolicae Sedis" a Pio IX d. 12. Oct. 1869 editam. In hac const. quatuor classes censurarum distinguuntur, scilicet *a*) Summo Pontifici speciali modo reservatae, *b*) S. Pontifici simpliciter reservatae, *c*) Episcopis et *d*) nemini reservatae. Porro a censuris *a*) et *b*) Praelati regulares non possunt suos absolvere subditos "salvis aliis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus."—S. Poenitentiaria d. 5. Dec. 1875. Possunt vero a censuris sub *c*) enumeratis—

[1] de Censuris, c. V. n. 355, qui citat Rodriguez, Sporer, Portella.

[2] *Piat.* I. p. 578.

[3] *Ferraris,* "Praelatus regularis," n. 67.

[4] *Suarez,* de Censuris l. II. c. 51. n. 10.

sunt tres—et a fortiori ab illis sub *d*) adductis.[1] Porro notandum est nos hic loqui de censuris per Papam Episcopis (respective: nemini) reservatis, non vero de illis, quae ab Ordinario ipso sunt reservatae. Verum cum Episcopi in regulares exemptos per se censuram ferre non possint, nisi in casibus in lege expressis—de quibus infra—non est opus cur hic istis immoremur. Casus peculiaris censurae est *percussio clerici*, de qua tenendum est juxta privilegia adhuc (post Bullam "Apost. Sedis") valentia pro regularibus, quod religiosi a suis Praelatis possunt absolvi ab ista censura, etiamsi percussio fuerit enormis et publica, et percussus fuerit alterius Ordinis aut Saecularis.[2]

Notandum quoque est, quod excommunicatus poenitens, etiam perpetuo impeditus personaliter Romam proficisci, debeat recurrere ad Sedem Apost. infra mensem a die, quo absolutus fuerit propter rationes urgentes sub poena reincidentiae; et hoc valet quoad casus tum speciali modo, tum simpliciter R. Pontifici reservatos. Ita S. C. O. 17. Junii 1891.[3] Bulla dein

[1] *Aichner*, Comp. p. [33]; *Lehmkuhl*, II. n. 968; *Ball.-Palm.* Vol. V. n. 786 sqq. Isti omnes tenent Praelatos posse suos subditos absolvere a casibus per Papam Episcopis reservatis. Aliter sentit *Piatus Mont.*, Juris regul. I. p. 585. Sed videtur minus recte; quia Bulla "Apost. Sedis" solam facultatem absolvendi a casibus R. Pontifici reservatis revocavit, privilegiis aliis, quibus eadem ac Episcopis conceditur facultas Superioribus absolvendi non tactis. Ita et decisio S. Poenitentiariae videtur intelligenda.

[2] Ita *Putzer*, Comment. n. 232; *Piat.* I. p. 582; aliter *Lehmk.* II. n. 947.

[3] *Ball.-Palm.* VII. p. 244. nota Palm.

"Apost. Sedis" loquitur de *suspensionibus et interdictis*. Quoad interdictum locale tenendum est, illud omnes, etiam exemptos (secluso speciali privilegio) teneri servare.[1] Insuper observa, interdicta localia et generalia personalia, quae jure communi sunt imposita *nec* reservata, posse tolli ab Episcopo, non vero a Regularibus, etiam privilegiatis.[2]

2. Quoad *casus reservatos* loquendum est eodem ferme modo ac de censuris. Imprimis notandum est quod Episcopus non potest casus reservare quoad regulares exemptos,[3] nisi in casibus a Tridentino, jure communi et Constitutionibus Pontificiis expressis, qui potius ad classem censurarum attingunt. *Praelatus vero regularis potest reservare casus sibi quoad subditos suos*. Quae observanda sint hac in reservatione, Clemens VIII decreto a S. Congregatione, ipso jubente, ad omnes Ordines regularium transmisso 26. Maii 1593 statuit:

a) Ut reservatio casuum, undecim numero, nonnisi cum consensu Capituli (sive generalis, sive provincialis) a Superiore fiat. Potest quidem cum consensu eiusdem Capituli alios praeter Clementinos casus sibi reservare, sive cum sive absque censura. Ita S. C. E. E. et R. R. die 7. Julii 1617.[4]

b) *Casus Clementino decreto* contenti *sunt sequentes:*

1) Veneficia, incantationes, sortilegia.

[1] *Ball.-Palm.* VII. p. 307.
[2] id. p. 315.
[3] id. Vol. V. p. 354.
[4] id. V. p. 653.

2) Apostasia a religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa conventus fiat egressio.

3) Nocturna ac furtiva e monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta.

4) Proprietas contra votum paupertatis, quae est peccatum mortale.

5) Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.

6) Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, effectu etiam non secuto.

7) Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii.

8) Furtum de rebus monasterii ea quantitate, quae est peccatum mortale.

9) Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

10) Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiusque personae.

11) Malitiosum impedimentum, aut retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

c) *Constituant Praelati confessarios duos, tres aut plures* pro subditorum numero maiore vel minore, qui etiam a *casibus reservatis possint absolvere.*[1]

Porro "in parvis communitatibus"—parvae censentur illae quae sint infra numerum 12 membrorum, qui

[1] Decretum vero nihil dicit de obligatione confessariorum—qualem, nescio quanam ex causa, aliqui Superiores imponunt—singulos casus post datam absolutionem referendi Superiori; nostro judicio sigillum periculo exponitur.

canonicus habetur [1]—"Superiores omnino debent deputare habitualiter unum confessarium ex religiosis proprii Ordinis, qui facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in Ordine reservatis."—S. C. E. E. et R. R. d. 16. Aug. 1866, approbatum et confirmatum a Pio IX die sequenti.[2]

d) Non licet "Superioribus regularibus confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab eis petierint." Ita decr. Clem. VIII.[3] Huc etiam facit decretum S. Officii d. d. 5. Julii 1899, editum quidem pro "Urbe" tantum, at certe modo directivo pro "Orbe" quoque—quo "Suprema S. Officii C. de expresso Smi. D. N. Leonis XIII mandato, districte prohibet ne ullus cuiusquam religiosae communitatis, aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales confessiones audire ullo pacto audeat." [4]

e) Isti casus reservari possunt etiam pro *monialibus* exemptis, si subditae sunt jurisdictioni Praelatorum regularium.[5]

5. Addenda sunt aliqua *circa deputationem confessariorum* excipientium confessiones *regularium.*

[1] *Ball.-Palm.* V. p. 351.
[2] ibid.
[3] cf. *Lehmk.* II. n. 416 sq.
[4] cf. *Archiv für Kirchenrecht,* 1900 (LXXX), p. 144.
[5] *Piat.* I. p. 447.

a) Confessarii qui audiant regularium confessiones, deputantur a Superioribus eorundem regularium sine ulla alia approbatione. Quoad hoc omnes auctores conveniunt. Verum magni momenti est distinctio inter approbationem strictioris sensus et latioris sensus. Illa nihil aliud dicit, nisi testimonium auctoritativum, quo aliquis sacerdos declaratur aptus qui jurisdictionem sacramentalem exercere possit. Approbatio vero in latiori sensu comprehendit et approbationem strictioris sensus et jurisdictionem.[1] Unde si supra diximus "sine ulla alia approbatione," hoc imprimis in sensu strictiori sumendum est. Nam communis fere est doctrina auctorum regulares jurisdictionem accipere a Papa mediante Superiore—et hoc saltem, si agitur de poenitentibus et confessariis eiusdem Ordinis religiosi exempti.[2] Verum aliquae quaestiones hic occurrunt solvendae:

α) *Quinam censentur "subditi"* Praelato regulari? Respondetur: *omnes professi,* sive solemniter sive simpliciter, item novitii, imo ii quoque saeculares, qui in monasterio seu collegio "sunt vere de familia et continuo commensales." Clem. X "Superna." Sat probabiliter tenetur—immo, quoad Benedictinos, Theatinos, de Somascha etc. certe [3]—quod familiaribus adnumerari possint alumni convictores, qui plene sub obedientia religiosorum vivunt atque in collegiis educantur.[4]

[1] *Santi,* Prael. Juris can. l. III. tit. 37. n. 9, ed. Pustet 1898; Vol. III. p. 369.

[2] id. n. 7. p. 367; *Lehmk.* II. n. 393.

[3] cf. *Gury-Ball.* II. n. 564; *Lehmk.* II. n. 396.

[4] *Lehmk.* II. n. 393, 396.

Ex quo ultimo inciso habes, "externos" quos vocant, (day-scholars), nequaquam familiares esse religiosorum. Item sequitur convictores "internos" non posse absolvi ab iisdem confessariis regularibus tempore feriarum.[1]

Quoad *novitios* controvertitur, utrum etiam valide absolvi possint a confessariis approbatis (hic intellige approbationem in sensu latiori) ab Ordinariis. "Ratio interna," ait Santi, "et externa affirmativae sententiae favet."[2] Et affirmativa certe tunc obtinet, ubi Superior sciens hanc opinionem inter suos vigere non contradicat, quia censetur tacite hanc potestatem tribuere.[3] Quoad *familiares* vero dicendum est eos posse valide absolvi sive a confessario a Praelato regulari sive ab Ordinario loci (ubi monasterium situm est) approbato, quia proprie loquendo saeculares sunt.[4] "Haec a fortiori valent de alumnis convictoribus: imo de familiaribus in 'domibus parvis' haec eo minus dubia esse possunt quando illae parvae domus jurisdictioni et Praelati regularis et Episcopi subjectae sunt."[5]

β) Quae huiusque dicta sunt intelligi debent de religiosis domi manentibus. Quaestio remanet de regularibus *itinerantibus*. Communis potest dici sententia,

[1] *Lehmk.* n. 398. Intellige hoc de illis, qui extra convictum ferias peragunt, et quoad confessarios de illis, qui sola facultate a Superiore regulari sunt instructi; nam si approbati fuerint ab Ordinario, possunt eos absolvere.

[2] l. c. n. 7. p. 367.

[3] Hoc vel *Lehmk.* II. n. 397, admittit quamvis ceteroquin tenet negativam sententiam.

[4] *Lehmk.* II. n. 398; *Santi*, l. c.; *Marc*, Instit. Morales, ed. Rom. 1898 (IX), Vol. II. n. 1762.

[5] *Lehmk.* ibid.; *Marc*, ibid.

quae tenet regularem itinerantem, si socium habeat, vel ut alii dicunt, "si copiam habeat confessarii sui Ordinis,"[1] debere huic confiteri; si vero desit socius vel alius confessarius idoneus sui Ordinis, bene posse, ex praesumpta licentia Praelati, confitere alteri sacerdoti idoneo regulari vel saeculari. Controvertitur tamen, utrum ille sacerdos debeat esse ex approbatis ab Ordinario. Porro affirmant ex veteribus Vasquez, Antoine, Concina, Wigandt[2] et nostris temporibus praesertim Santi.[3] At communior, imo communissima (?) sententia negat illum sacerdotem, sive regularem sive saecularem debere esse ex approbatis, quia "Ordo seu eius Superior in tali casu cuilibet sacerdoti, quem religiosus elegerit, jurisdictionem delegatam concedit."[4] At si agitur de confessario regulari, apud quem religiosus in itinere constitutus confessionem instituere velit et si approbatio necessaria sit, a quonam talis confessarius debet habere approbationem (in sensu latiori)? Respondeat Bizzarri, olim S. C. E. E. et R. R. Secretarius:[5] "In indultis quae S. C. E. E. et R. R. et S. Poenitentiaria concedit regularibus eligendi confessarios extra suum Ordinem haec formula adhibetur: Indulget religioso viro oratori, ut quemcunque confessarium, sive saecularem sive regularem, dummodo sit ex approbatis ab Ordinario

[1] *Marc*, l. c. n. 1763.

[2] ibid.

[3] l. c. n. 14–17, cuius "rationes internae et externae" certe non sunt parvi pendendae.

[4] cf. *Lehmk.* II. n. 394; *Marc*, II. n. 1763; Vide tamen dicenda in textu.

[5] *Collectanea* S. C. E. E. et R. R. ed. Rom. 1885; p. 723; notam.

loci, sibi eligere possit . . . et in nulla alia ex recentioribus concessionibus Apost. Sedis diversam formulam inveni, si excipias Const. 'Quoad communi,' 30. Martii 1742 pro Capuccinis." Istis nempe concessum est ut sacerdoti saeculari approbato ab Ordinario loci vel regulari possint confiteri "approbato a suo Superiore regulari ad sacramentales confessiones audiendas." Pius IX vero, d. 28. Sept. 1852 iisdem Capuccinis concessit idem privilegium cum ista extensione ut absentes a conventu eligere sibi possint extraneum confessarium, ut supra in casu etiam, quo adsit "unus tantum Sacerdos Capuccinus" ad confessiones approbatus, indulgens insuper ut a tali confessario electo possint absolvi etiam a casibus in Ordine reservatis cum obligatione tamen se praesentandi suo Superiore, ut a casibus reservatis iterum absolvatur.[1] Verum et istam obligationem se iterum praesentandi Superiori quoad casus reservatos sustulit Leo XIII per indultum S. C. E. E. et R. R. d. 5. Aprilis 1897 dummodo petentes (sc. Capuccini) non "ex industria vel in fraudem legis itinera arripiant." [2]—Ex quibus colliges 1° curnam signum interrogationis apposuerimus ad verbum "communissima;" nam praxis S. C. E. E. et R. R. et S. Poenitentiariae illi sententiae non favet; et 2° a quonam approbationem (in sensu latiori) habere debeat sacerdos audiens confessionem regularis itinerantis, cui non est socius sui Ordinis, nempe: secluso speciali privilegio,

[1] *Collectanea* S. C. E. E. et R. R. ed. Rom. 1885, p. 723.
[2] cf. *Santi*, l. c. n. 18. p. 384, notam.

ab Ordinario loci, sive confessarius sit regularis sive saecularis.[1]

b) Quoad *moniales* Regularibus subjectas est dicendum ipsarum confessarium tum ordinarium tum extraordinarium deputari a Praelato regulari, approbationem (strictioris sensus) vero ipsi impertiri Episcopum loci. Ita ex Const. Gregorii XV "Inscrutabili

[1] cf. *Piat.* I. p. 415 sqq. Hic posset quaestio non inutiliter institui quoad fratres "expositos" et alios quoscunque apud confratres extra monasterium sive conventum casum in monasterio reservatum confitentes, utrum nempe absque speciali Superioris facultate ab isto etiam casum possint absolvi. Probabile esse dicunt auctores (cf. *Ball.-Palm.* Opus Theol. Moral. ed. 2, Vol. V. n. 690. p. 373 sq.; *Marc*, Instit. Moral. ed. 9, Vol. II. n. 1774) absolutionem posse dari, etiam in monasterio, a confessario non specialiter quoad reservatos deputato, a casu quoque reservato, si urgeat tempus celebrationis vel communionis et Superior adiri nequeat. Porro si hoc fieri potest in monasterio, certe etiam extra, ubi quidem tempus celebrationis non immediate urget, tamen mediate, et Superior ratione distantiae, adiri nequit. Insuper regula generalis—haec quidem quoad monasterii habitatores per prius valet, at ex pari ad expositos extendi debet—est, "regulariter et moraliter loquendo, Superiorem debere esse facilem potius, quam difficilem in hac facultate concedenda," ait Suarez (cf. *Ball.-Palm.* l. c. n. 694, p. 375). Jamvero difficiles se redderent, si in casu necessitatis, qui multoties adest, facultatem vellent esse subtractam quoad expositos. Unde rationabiliter ista facultas concessa potest dici. Denique quoad obligationem se sistendi Superiori postea, putamus illam, post concessionem praesertim Capuccinis factam, non existere amplius. Consulatur insuper in his omnibus rationi sigilli et libertati conscientiae. Refert quoque *Suarez* (de Rel. l. II. c. 13. n. 7) privilegium Regularium, ut semel possint absolvi a reservatis sine facultate Superiorum (cf. Ball.-Palm. l. c. n. 693).

Dei" d. 5. Feb. 1602. Quoad cetera referimus ad infra dicenda, ubi de "jure ad extra."

c) *Quinam* veniunt *nomine Superiorum* regularium? Loquendo de deputandis ad confessiones regularium audiendas confessariis, tenendum est quod per prius Praelatus supremus deputare potest tales confessarios. Generalis ergo, sicut est confessarius ordinarius et proprius totius Ordinis, ita etiam potestatem habet deputandi confessarios pro toto Ordine. Eadem potestate gaudet Provincialis in sua provincia.[1] Et certe Abbas pro suo monasterio, quia est revera Superior. Quoad Priores oportet distingui inter "claustrales" et "conventuales." Claustrales siquidem vocantur ii, qui ab Abbate ad officium Prioris nominantur et subsunt omnimodae Abbatis jurisdictioni. Conventuales vocantur Priores, qui praesunt alicui monasterio, quod tanquam prioratus a Sede Apostolica est confirmatum. Porro "claustrales" Priores certe non possunt deputare habitualiter confessarios pro monasterio. Absente vero Abbate in casibus extraordinariis et singulis, e.g. si ex habitualiter deputatis aliqui absint, videntur gaudere ista potestate deputandi confessarios pro subditorum confessionibus audiendis, nisi Constitutiones Ordinis aliter decernant. Priores conventuales gaudere dicendi sunt illa facultate, quia revera tanquam Superiores a Summo Pontifice per canonicam monasterii erectionem in prioratum (vel conventum) agniti sunt.[2] Hic utique

[1] cf. *Piat.* l. c. p. 400, p. 406.

[2] cf. *Diana* in tract. super dubiis regul. res. 11; ubi dicit Guardianos, Priores, Praepositos regularium posse subditis

observa canones omnino requirere, ut confessarii in capitulo generali vel provinciali eligantur post factam examinationem coram tribus saltem examinatoribus collegialiter adunatis.[1] Haec de potestate absolutiva dicta sufficiant.

§ 3. *De potestate coërcitiva.*

1. Quidquid sit de fundamento huius potestatis,—asseritur nempe illam provenire ex jurisdictione, quae addita est a Sede Apostolica [2]—negari non potest potestatem coërcitivam competere Superioribus religiosis, et quidem tum vi voti obedientiae tum vi jurisdictionis. Libenter concedimus proprie dictam istam facultatem, quae praesertim censuras respiciat, fluere ex jurisdictione. At hic non solum de censuris est agendum, verum etiam de aliis poenis, quae nequaquam requirunt aliam potestatem nisi dominativam. Unde est quod propriam paragraphum instituimus.

2. Potestas coërcitiva *in infligendis poenis consistit.* Istae poenae, uti supra notavimus, sunt vel temporales vel spirituales. Ad priores proprie etiam pertinent

concedere facultatem eligendi confessarium extra religionem. Quoad Priores O. Erem. S. Aug. constat eos posse concedere facultatem suis ut confiteantur sacerdoti extraneo, "dummodo sit ex approbatis ab Ordinario loci." Ita S. C. E. E. et R. R. d. 3. Junii 1864; *Bizzarri*, Coll. p. 726.

[1] Ita *Clem. VIII* Const. "Nullus omnino" § 37; *Trid.* sess. XXIII. c. 15; *Clem. IX* Const. "Debitum pastoralis officii," § 2; cf. *Piat.* I. p. 406.

[2] cf. *Suarez*, de Religione, l. II. c. 9. n. 2; *Bouix*, II. p. 465.

corporales, uti sunt jejunium, incarceratio, flagellatio, etc. Istae omnes adhuc a Praelato possunt infligi in subditos delinquentes, et quidem sola ratione potestatis dominativae; quamvis flagellatio et incarceratio in desuetudinem abiisse videntur. Relegatio in aliud monasterium adhuc viget tanquam poena.[1]

3. Poenae *spirituales* sunt vel principaliter medicinales vel principaliter vindicativae. Priores, uti excommunicatio et suspensio, vocantur censurae. Interdictum videtur medium tenere inter poenam vindicativam et medicinalem. Quoad *excommunicationem* distingue inter monasterialem et ecclesiasticam (sive canonicam). Nam uti S. P. Benedictus loquitur in Regula sua[2] de excommunicatione, haec est potius *monasterialis*, quae consistit sive in separatione a mensa communi, sive a choro, sive ab utroque fratris delinquentis. Porro istam excommunicationem Superiorem posse infligere in delinquentes vi potestatis dominativae nemo est qui neget. Quoad *excommunicationem ecclesiasticam* (sive canonicam) dicendum est Praelatos gaudentes potestate jurisdictionali posse eam ferre in suos subditos delinquentes contumaces, sive per sententiam specialem, sive eam in legem introducendo, dummodo servent juris principia. *Interdictum generale* capitulo suo imponere nequeunt,[3] licet possint singulos de capitulo interdicere.[4] *Interdictum*

[1] *Bouix*, II. p. 468.
[2] c.c. 23-26.
[3] *Suarez*, de Relig. l. II. c. IX. n. 6.
[4] *Piat.* I. p. 589.

locale, ait Suarez, nequeunt imponere.[1] *Suspendere* non possunt totum capitulum qua tale, tamen singulos ex capitulo. Neque possunt Superiores in subditos *irregularitatem* infligere; sed declarare solum, hos eam incurrisse, quia de jure haec statuta fuerit ob delictum. Possunt ob delictum aliquem inhabilem declarare ad officium vel dignitatem, e.g. praelaturam.[2] Item possunt Praelati supremi *amovere* inferiores ab officio, si culpam hac poena dignam admiserint, saltem ubi Constitutiones hoc permittunt et inferiores a supremis constituuntur.[3] Quoad depositionem proprie dictam et degradationem non est cur immoremur, quia ejectio potius habet locum, de qua loquemur in capite sequenti.

4. Porro adverte, quod ut gravis poena pro gravi delicto possit infligi, necessarius sit *processus criminalis*. Iste certe requiritur pro ferenda poena excommunicationis (ecclesiasticae, non vero monasterialis), suspensionis (saltem totalis, i.e. ab officio et beneficio), ejectionis et privationis vocis activae ac passivae. Processus iste faciendus est juxta consuetudines Ordinis et statuta generalia, uti Bonifacius VIII concessit Dominicanis. Semper tamen *servanda sunt principia essentialia juris*. Ista sunt juxta Reiffenstuel "in processu regularium":

a) Ut instituatur cum praevia legitima accusatione aut denuntiatione judiciali, cum actore et reo vel eorum vices gerentibus.

[1] l. c. n. 5.
[2] cf. *Bouix*, II. p. 468; *Piat.* I. p. 589.
[3] *Piat.* I. p. 591.

b) Ut adsit judex competens. Quoad regulares judex competens est vel Capitulum (provinciale), Generalis, Provincialis (Abbas Generalis vel Praeses)—et hi intra Ordinem; Cardinalis protector, Summus Pontifex vel C. E. E. et R. R.—et hi extra Ordinem.[1]

c) Ut libellus, sive in scriptis sive ad protocollum detur, habeat necessaria requisita; sc. requiritur, ut nomen judicis, accusatoris et accusati contineat, item speciem delicti, locum et tempus (saltem annum et mensem).[2]

d) Ut inhabiles ad accusandum non admittantur. Inhabiles sunt: censurati, infames, agentes ob odium vel inimicitiam; item clerici saeculares vel regulares, nisi agatur de propria eorundem injuria prosequenda, vel de enormi delicto a regulari patrato, e.g. de blasphemia, apostasia, haeresi, magia, sacrilegio, homicidio etc.[3]

e) Ut notarius publicus pro actuario adhibeatur; at hoc intelligendum est de persona vicem gerente in monasterio, se de illa, quae munere notarii vel actuarii in monasterio vel consilio generali aut provinciali fungitur et qua talis deputatus est a Superioribus.

f) Ut tam accusator quam denuntiator adigantur ad praestandum juramentum calumniae, i.e. illud quo spondent se bona fide, credentes habere bonam causam, animo litigandi, non vero calumniandi persecuturos

[1] *Piat.* II. p. 367 sq.
[2] *Reiffenst.* V. tit. 1. n. 8.
[3] ibid. n. 30.

cursum judicii.[1] Simile juramentum emittant oportet testes.[2]

g) Ut reus legitime citetur et inauditus nisi contumax non condemnetur.

h) Ut tempus sufficiens ad defensiones et probationes concedatur.

i) Ut reo articuli (accusationis) aut saltem dicta testium pro sua defensione communicentur.

k) Ut reo petenti consiliarius peritus seu patronus idoneus tanquam advocatus concedatur.

l) Ut justae rei (accusati) exceptiones, sive peremptoriae, sive dilatoriae, e.g. contra personam judicis vel actoris, vel causam vel ordinem judicialem[3] admittantur; testesque ab eo nominati super interrogatoriis vel articulis propositis examinentur.

m) Ut reus nonnisi confessus vel convictus ad poenam ordinariam condemnetur.

n) Ut sententia secundum allegata et probata jurique conformiter et quidem judice praesente legitime feratur et publicetur.

o) Ut appellationes justae admittantur. Appellari quis potest a consilio provinciali ad generale Ordinis, non vero ad Episcopum, in casu quo a Superioribus regularibus processus instituitur. Si concilium provinciale sederit tanquam tribunal, appellare quis poterit ad concilium generale vel Generalem Ordinis, et ab hoc ad S. Congregationem E. E. et R. R., quae

[1] *Santi*, l. II. tit. 7. n. 1.
[2] id. l. II. tit. 20. n. 39.
[3] cf. *Santi*, l. c. tit. 25. n. 2–6.

est ultima instantia. Si religiosus condemnatus fuerit ab Episcopo (in casibus, in quibus exemptae subsunt illius jurisdictioni) tunc distinguendum est, utrum processerit tanquam Ordinarius an vero tanquam Sedis Apost. delegatus. In priore casu appellatio fit ad Metropolitam et ab hoc ad S. C. E. E. et R. R.[1]

p) Ut Ordinis statuta circa processum criminalem serventur.[2]

Haec essentialia juris quoad processum criminalem omnino servari oportet etiam in summario. Potest utique causa directe referri ad S. Sedem; at documenta, quae contineant ista, debent includi in litteris; alias nec S. Congregatio posset causam decidere deficientibus argumentis.

5. Quaestio aliquando mota fuit, utrum Praelatus regularis possit *suspendere* subditos a confessionibus audiendis *ex informata conscientia*, i.e. extrajudicialiter et non adhibito processu nec summario, dummodo ipsi constet de justa causa suspensionis. Dicendum ergo est Superiores, qui deputant confessarios regulares quoad suos subditos, posse eos suspendere ab hoc officio. Et hoc certum est quoad Generalem, ex declaratione S. C. super negotiis regularium d. 2. Julii 1627;[3] et quidem quoad validitatem, quia revera jurisdictionem conferre censentur deputando aliquem confessarium. Verum quoad confessarios regulares qui

cf. *Piat.* II. p. 482 sq.

[2] *Reiffenstuel*, l. V. tit. 1. n. 320.

[3] cf. *Bizzarri*, Coll. p. 24. Et valere dicendum est quoad omnes Superiores, qui possunt constituere confessarios.

approbati sunt ab Ordinario ad audiendas saecularium confessiones, dicendum est, quod Praelati possunt tales confessarios suspendere ex informata conscientia, "ita tamen ut Religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones audiat." Ita S. C. E. E. et R. R. d. 2. Martii 1866 respondit ad quaesita per Procuratorem generalem O. P.[1]—Poenas istas canonicas, praesertim censuras infligere posse ex sola potestate jurisdictionali, non vero vi potestatis dominativae, videtur esse extra dubium. Ad potestatem jurisdictionalem non immerito etiam referes quam vocare possumus liturgicam. Unde sit ad coronidis instar:

§ 4. *De potestate liturgica.*

Ista quidem pertinere dicenda est ad potestatem jurisdictionalem ex eaque fluere. Attamen bene potest specialiter considerari, quia non necessario semper simul cum jurisdictione conceditur. Nam sunt Praelati, qui jurisdictione gaudent, et tamen non omnia, quae sub nomine potestatis liturgicae veniunt, exercent. Comprehendit porro ista potestas usum Pontificalium et potestatem conferendi ordines minores. Liturgicam illam vocamus quia objectum eius tendit praeprimis ad cultum divinum.

1. Quoad *usum Pontificalium: a*) Consistit in usu mitrae et baculi (et annuli), i.e. insignium Episcopis propriorum adhibendorum in peragendis officio, S. Missa et Vesperis, certis dumtaxat diebus festivis, et aliquibus benedictionibus.

[1] Bizz. l. c. p. 753 sqq.

b) Iste usus competit *Abbatibus* ab Episcopo benedictis vel iis etiam, qui speciale hac de re privilegium Sedis Apostolicae obtinuerunt.[1]

c) Porro Abbates possunt peragere Pontificalia in *suis* dumtaxat *ecclesiis*, non vero in aliis, nisi quoad hoc ultimum, sc. peragenda Pontificalia in ecclesiis non suis, habeant speciale privilegium et consensum expressum Ordinarii loci (ubi illa peragere cupiunt). Ita ex decreto Alexandri VII d. 27. Sept. 1659[2] et Pii IX d. 18. Dec. 1846.[3]

[1] cf. Decreta. Trid. Ed. *Richter-Schulte*, (Neapol. 1859) p. 198 sq. Distinctio inter Abbates benedictos et non-benedictos invaluit VIII. circiter saeculo.

[2] cf. *Ferraris*, "Abbas," n. 31, ubi decretum affertur; *Decret. Auth.* I. n. 1163.

[3] cf. *Decreta Authentica* S. R. C. Vol. II. n. 2923. Notatu dignum est decretum eiusdem S. Rit. C. d. 13. Junii 1902 quoad Abbates Anglo-Benedictinos. Nam isto determinatur jus Pontificalia peragendi in ecclesiis *propriis*, in quibus terni vel bini vel singuli Patres sub jurisdictione Abbatis respectivi constituti curam animarum exercent, in quibus ecclesiis, dummodo sint illius propriae vel eius jurisdictioni subjectae, Abbas habet jus *ter* agendi Pontificalia, quin requiratur consensus Ordinarii. In ecclesiis aliorum Regularium vel Saecularium non licet Abbatibus dictis peragere Pontificalia, nisi—ad decr. d. 18. Dec. 1846 S. R. C. (*Decreta Auth.* II. n. 2923) refertur—ex speciali indulto huius S. Apost. Sedis *et* de expresso Ordinarii consensu. Insuper refertur ibi ad decr. S. Rit. C. d. 1. Oct. 1701 (*Decret. Auth.* I. n. 2080), ex quo, ad complementi instar de Pontificalibus, promere lubet sequentia: 1° Abbas potest alii Abbati regulari eiusdem Ordinis, sed extero, potestatem facere celebrandi pontificaliter in proprio monasterio; 2° Abbas potest, praesente Ordinario, rochettum induere, et mozzettam deferre, aliisque Abbatibus exteris ita se induendi concedere facultatem; 3° Abbas et alii exteri, praefato habitu induti

d) Porro ista Pontificalia Abbates, quibus competit, possunt exercere *certis* dumtaxat (3) *diebus*, ex eodem Alexandri VII decreto.

e) Demum *non suffragatur communicatio privilegiorum* quoad peragenda Pontificalia, aliis etiam (et pluribus) diebus, quam in citato decreto Alexandri VII indicatis, uti decisum est in "Cassinensi" a S. R. C. d. 20. Julii 1660.[1] Consuetudo legitima utique aliter videtur ferre.

f) Quoad alia, quae proxime accedunt ad Pontificalia, sc. *benedictiones* quasdam, uti s. vestium, campanarum,

pergere valent processionaliter extra ecclesiam per paroeciam, sine licentia Ordinarii; 4° *Non* potest Abbas trinam benedictionem populo impertiri extra tempus Missae pontificalis.— Forsitan quis quaeret *quaenam sint Regularium ecclesiae propriae* in hac nostra regione? Respondemus remissive propter rationes controversiae quoad existentiam veri nominis parochiarum hac in regione: 1° Ecclesia monasterio adnexa, quamvis in hac cura animarum exerceatur, potest certe dici regularium propria; 2° Ecclesiae quae non sunt monasteriis contiguae, at in perpetuum traditae ab Apostolica Sede—non solum ab Ordinariis—possunt etiam considerari tanquam regularium propriae; 3° Ecclesiae quae regularibus ab Episcopis dumtaxat (vi facult. Forma I. art. 22) ad curam animarum ibi exercendam conceduntur, non possunt dici regularium propriae. Nam in hoc ultimo casu tum ecclesia tenetur nomine Episcopi, in cuius proprietarium titulum (fee-simple) transit, tum cura animarum exercetur nomine Episcopi, qui est parochus proprius.

[1] ibid. Vol. I. n. 1163. Privilegium plus tribus vicibus peragendi Pontificalia in cit. decreto dicitur unice competere monasterio SS. Trinitatis *Cavensi* (Italiae). Quoad *Cistercienses* vide tractatum *Studien u. Mittheilg. O. S. B.* 1902. I. p. 1 sqq. Remanet dicendum S. Rit. C., etsi quandoque casus particulares prae oculis habuerit, semper uniformiter decidisse, quae uniformitas constituit jus traditionale seu usum forensem, cui contrarie non licet inferiori.

consecrationem calicum et altaris, dicendum est tales res posse benedici, vel consecrari ab Abbatibus vel privilegio gaudentibus solummodo *pro usu propriarum ecclesiarum*. Ita ex decreto cit. Alex. n. 18 et S. R. C. d. 16. Maii 1746.[1] Quoad alias benedictiones, e.g. candelarum, cinerum et candelarum referimus ad decreta S. R. C. d. 26. Feb. 1626;[2] d. 22. Martii 1653;[3] d. 9. Maii 1893.[4]

2. Quoad *ordines minores*, quos Abbates benedicti vel specialiter privilegiati (etiamsi non benedicti, S. C. C. d. 11. Maii 1624[5]) conferre possunt, observa hanc potestatem non sequi simpliciter ex usu Pontificalium, quamvis concesso a Summo Pontifice; S. C. C. d. 17. Sept. 1746.[6] Istos ordines possunt conferre *suis dumtaxat subditis*, non vero alienis, sive saecularibus sive regularibus;[7] quamvis si alienis conferrent istos ordines minores, valide collati dicendi sint, eo in casu, quo collator ordinum fuerit ex Abbatibus benedictis vel aliter ad hoc gaudentibus privilegio Apostolico; S. C.

[1] cf. *Decreta Authent.* S. R. C. Vol. II. n. 2377, ad 1. Quoad benedictionem, ubi "unctio habetur" S. C. quidem ait, eam non posse perfici nisi ab illis, qui habeant privilegium S. Sedis, ibid. At Abbates benedicti eo ipso, quod sunt benedicti, videntur gaudere tali privilegio. Usus saltem hoc tenet ac docet.

[2] *Decreta Auth.* Vol. I. n. 453.

[3] ibid. Vol. I. n. 946.

[4] ibid. Vol. III. n. 3798. II.

[5] *Richter-Schulte*, l. c. p. 199. n. 18.

[6] ibid. n. 15.

[7] *Trid.* sess. XXIII. c. 10. de Ref.

C. d. 3. Dec. 1641 ab Urbano VIII confirmatum.[1] Illicite tamen agerent isti collatores, etiamsi licentiam Ordinarii quoad eiusdem subditos, vel Praelati regularis, cuius subditos ordinarunt, obtinuerint; ita ex eadem decisione S. C. C. Hoc etiam dicendum est de Abbatibus "Nullius," qui proin subditis suis saecularibus non possunt (licite) ordines minores conferre.[2] Quoad *novitios et oblatos* item tenendum est eos non posse promoveri ad tonsuram et ordines minores ab Abbatibus, sub cuius obedientia per modum probationis vivunt; S. C. C. d. 14. Maii 1689.[3] "Minores ordines conferri possunt in *festis de praecepto*, vel in festis quae erant de praecepto ante reductionem"; S. R. C. d. 16. Martii 1833,[4] at in his festis abolitis quoad forum publicum, mane tantum possunt conferri; S. R. C. d. 12. Nov. 1831; 18. Feb. 1843.[5]—*Privilegium* excedens omnia alia concessum fuit Domui *Cistercii* et quatuor primis eius filiis (La Ferté, Pontigny, Clairvaux et Morimont). Nam Innocentius VIII d. 9. Aprilis 1489 "ne monachi dicti ordinis pro suscipiendis *Subdiaconatus* et *Diaconatus* ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi [Joanni IX de Cirey Abbati monasterii Cistercii] et successoribus tuis, ut quibuscunque dicti ordinis monachis, aliis vero quattuor abbatibus praefatis, ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum praedictorum

[1] *Richter-Schulte*, l. c. n. 20; cf. n. 9; n. 17; n. 21.

[2] cf. *Santi*, l. I. tit. XI. n. 25.

[3] cf. *Santi*, l. c.; quoad alia vide supra, ubi de privilegiis novitiorum.

[4] cf. *Decreta Auth.* Vol. II. n. 2705. p. 249.

[5] ibid. n. 2682, ad 1. p. 236; n. 2852. p. 310.

religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus et Diaconatus ordines huiusmodi alias rite conferre"[1] concessit. Bulla quidem in Archivio Vaticano nondum reperta est, quamvis Gasparri (de Ordinatione, Vol. II. n. 798. p. 85) hoc assererit, et adstruxerit mentionem de diaconatu abesse. Ipse siquidem propriis oculis Constitutionem non vidit, sed informationem dumtaxat accepit.[2] Et revera generalem O. Cist. anno 1663, Gandavi religiosos O. Cist. in diaconos et subdiaconos ordinasse testatur Leonardus Van Roy, Eremita S. Aug.[3] Dubitari proin de tali privilegio non licet; de merito vero validae concessionis non est nostrum hic aliquid proferre. Qui plus velit scire, habet documenta in notam redacta. Hucusque consideravimus Praelatorum potestatem tanquam in ipsis residentem abscindendo a relatione ad capitulum. Quare restat ut de Capitulis loquamur, cui quaestioni solutae adnectitur consideratio de Visitatoribus.

Articulus III.

De Capitulis.

1. Capitulum[4] *definiri* potest: coetus regularium ad maiora Religionis (sive monasterii) negotia pertractanda

[1] cf. *Analecta Ecclesiastica* 1901 (Julius), p. 312. Hic quaestio bene tractatur et quidem in favorem tum authenticitatis Bullae tum validitatis ordinum ab illis Abbatibus collatorum. Textum sumpsit auctor, Pius a Langonio O. M. C. ex Divionensi editione Collectaneae Cisterciens. privilegiorum (1489–1491).

[2] ibid. p. 313; cf. *Santi*, l. I. tit. XI. n. 24. p. 127.

[3] ibid. p. 421 (Sept. et Oct. fasc.).

[4] cf. *Aichner*, Comp. p. 406.

convocatus a Superiore, qui huiusmodi capituli modo consilium modo consensum debet adhibere.

2. Capitulum est vel generale, vel provinciale, vel locale, prout pro toto ordine, vel provincia, vel uno monasterio constituitur.

3. Generale capitulum *convocatur* a Generali Ordinis; provinciale—saltem si ordinarium est [1]—a Provinciali (vel Abbate Praeside); locale, ubi detur, ut in Ordine S. Benedicti, a Superiore locali, nisi aliter Constitutiones vel Regula statuant.

4. Si res tractanda a capituli *consensu* (non tantum consilio) dependeat, requiritur ut suffragia dentur *capitulariter*, i.e. non sufficit ut singuli interrogentur de opinione. Non requiritur tamen ut suffragia secrete ferantur, sed solummodo ut collegialiter, i.e. omnes in unum locum congregati rem perpendant et votum dent.

5. Maior pars capituli requiritur, ut res decisa censeri possit, et sufficit—etiam contradicente minore parte.

6. *Negotia* maioris momenti, pro quibus *consensus* haberi debet haec fere sunt: electio Superiorum (Praelatorum), statuta condenda, mutatio Constitutionum, ubi haec facultas data fuit a Summo Pontifice, casuum reservatio, bonorum alienatio (infra determinanda), Magistri novitiorum eiusque socii nominatio, acceptatio, fundatio et desertio monasteriorum [2]—et juxta communiorem opinionem—novitiorum susceptio et admissio ad professionem (simplicem).

7. *Consilium* requiritur in gravioribus negotiis quae,

[1] *Suarez*, de Relig. l. II. c. V. n. 4.
[2] cf. *Piat.* I. p. 615.

judicio prudentum, maturiori consultatione et discussione indigent, uti v.g. correctio religiosi per poenas graviores (praesertim si agitur de censuris, etc.), admissio ad solemnem professionem, missio alicuius religiosi ad studia generalia, sc. universitates.[1] Ceterum ratio uniformis per Constitutiones determinatur.

Articulus IV.

De Visitatoribus.

1. Concilium Tridentinum statuit, ut "Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac ceteri praedictorum Ordinum Superiores episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria et prioratus suo quisque loco atque ordine ex officio visitent."[2] Si impediti sint, possunt alium (regularem) deputare.

2. Visitator non potest impune recusari;[3] ille utique visitationem annuntiare debet, nisi forte rationes stringentes et graves adsint, ut inopinate visitationem instituat.

3. Frequenter visitatio locum habeat, juxta Trid. statutum;[4] at quoties praecise, non dicitur; unde relinquitur numerus determinandus Constitutionibus.

4. Concilium, quaenam inquirenda sint occasione

[1] c. 2. 6° (III. 24).
[2] *sess.* XXV. c. 20. de Ref.
[3] ibid.
[4] ibid. c. 8. de Ref.

visitationis, non statuit. Possunt redigi in sequentem materiem:

a) circa *disciplinam regularem*, v.g. officium divinum, vitam spiritualem et communem, jejunium et abstinentiam, culpae capitulum,

b) circa *bona temporalia*, v.g. statum realem (computum, debita, etc.), instituta publica, e.g. scholas, seminarium etc.,

c) circa *leges ecclesiasticas* observandas, v.g. Missarum stipendia, decreta legenda ad mensam publicam, lecturam S. Scripturae, conferentias instituendas et casus conscientiae solvendos,[1]

d) circa *crimina*, quae publice (non vero in foro conscientiae tantum) et cum scandalo perpetrata sunt a religiosis.

5. Si visitator invenerit aliquos delinquentes, potest contra eos procedere, saltem si talia commiserint, quae aliquam infamiam secum duxerint; at ita dumtaxat ut delinquentem judicialiter accuset apud Superiorem competentem.[2]

Appendix: de Sacrae Scripturae, etc., lectione et conferentiis.

1. Concilium Tridentinum praescribit ut lectio S. Scripturae in monasteriis monachorum habeatur, et Episcopi possint tanquam Sedis Apost. delegati Abbates negligentes compellere ad id opportunis remediis. Lector assignandus est ex dignioribus magistris a Ca-

[1] quoad ult. vide mox dicenda.

[2] *Reiffenstuel*, l. V. tit. I. n. 5.

pitulis generalibus vel provincialibus.[1] Porro ista lectio non ita est interpretanda—Superiores Regulares illam legem interpretandi nullum jus habent [2]—ac si lectio ad mensam sufficiat; sed debet fieri uno hebdomadae die a magistro competente.

2. *Legenda* sunt etiam quaedam decreta ad *mensam publicam*. Omissis aliquibus antiquioribus decretis, de quibus utrum summarie an singilatim sint legenda, disputatur,[3] sequentia certe sunt legenda:

a) Decreta *de celebratione Missarum*, contenta in Constitutione Innocentii XII "Nuper" et quidem infra mensem a feria II post primam Dominicam Adventus computandum et feria VI post Octavam Corporis Christi, bis sc. per annum.[4]

b) Decreta S. C. Concilii *de Regularibus apostatis et ejectis*, cum decreto *de reformatione Regularium*,[5] tempore quo placet.

c) Decretum S. C. Inquisitionis d. 5. Aug. 1745 *contra sacerdotes ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missae abutentes ad sortilegia*, semel in anno feria VI post Octavam Assumptionis B. M. V. in publica mensa, vel in capitulo specialiter ad hoc convocato.[6]

[1] sess. V. c. 1. de Ref.

[2] *Clem. VIII* Const. "Nullus omnino," § 28; *Urbanus VIII* Const. "Sacra Congregatio," § 40.

[3] cf. *Piat.* I. p. 598.

[4] S. C. E. E. et R. R. d. 21. Martii 1638.

[5] Const. "Sacra Congregatio" § 12. Bullar. Rom. V. V. 250. Aliquando—ita fieri in Cong. Sublac. de Primaeva observ. O. S. B. observavimus—haec decreta in Calendario ("Ordo") assignantur optime.

[6] cf. *Bull. Rom.* III. p. 416. Ista omnia continentur in libro

d) Decretum Pii IX d. 25. Januarii 1848 "Romani Pontifices" *de testimonialibus Ordinariorum litteris, etc.*, legendum d. 1. Januarii.[1]

e) In "piis *Societatibus*, *Institutis* mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum omnimode laicorum" legendum est in "lingua vernacula," "saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce" decretum "*Quemadmodum*" Leonis XIII d. 17. Dec. 1890, uti ex eodem decreto n. VIII constat.

3. Demum notandum est *casuum conscientiae propositionem* debere fieri in monasteriis et conventibus,—saltem iis conventibus, ex quibus confessarii ad audiendas saecularium confessiones sumuntur; S. C. E. E. et R. R. d. 1. Aug. 1831. Si regulares tales conferentias non instituant, Episcopus eos saltem exhortari potest ut dioecesanis conferentiis—quae quater saltem in anno habendae sunt—intersint.[2] Adverte etiam Concilii Baltimorensis III. statutum: "Cleri collationibus adesse debent omnes ex regularibus missionum rectores, vicarii quoque et generatim alii religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi."[3] Non-usus vel contraria consuetudo dictam legem de casibus conscientiae abrogare non potuit; S. C. E. E. et R. R. d. 1.

"Epitome Apost. Constitutionum et Decretorum, quae a Regularibus legenda sunt;" cf. *Piat.* I. p. 599.

[1] *Bizzarri*, Collect. p. 831 sq. In Italiae monasteriis legendum est etiam "Regulari Disciplinae."

[2] *Aichner*, Compend. p. 460; *Bizzarri*, Collect. p. 770.

[3] tit. II. IX. n. 88.

Aug. 1831. ad 1.[1]—Quae dicta sunt hucusque pertinere ad regimen regularium internum, patet. Monemus etiam ea stricte intelligenda esse (nisi notetur) de religiosis cum votis solemnibus dumtaxat vel saltem exemptis, praesertim si agitur de potestate jurisdictionali. Nunc transitus fit ad ea tractanda, quae sunt:

II. DE JURE REGULARIUM AD EXTRA.

Status religiosus per se consideratus non tendit ad ea quae in palaestra fori ecclesiastici se manifestent; qua talis scilicet (in se) esset potius "regnum intra" palos ecclesiae. At etiam quatenus nutritur et fovetur in sinu Ecclesiae Dei, regitur normis ab ista sancitis. Verum cum status religiosus semper se praebuerit adminiculum et fulcimentum, quo Ecclesia ad varia tum officia tum servitia in foro suo publico est usa et adhuc utitur, inde est quod Jus Canonicum illum statum comprehendit eiusque relationem ad cetera membra tum intra tum extra hierarchiam posita stabilivit, sancivit, firmavit. Non potuit vero quin iste status, tum a laicis tum a clero reliquo diversus, certas exceptiones veluti suae naturae ductu secum ferret. Quae exceptiones a jure communi vocantur privilegia, lato saltem sensu; eaque certo "numero, mensura et pondere" limitata certe detrimento non sunt nervo ecclesiasticae disciplinae. Loquemur nunc in quatuor articulis de relatione regularium ad officia dignitatesque

[1] cf. etiam Const. "Romanos Pontifices" Leonis XIII d. 8. Maii 1881; *Conc. Balt.* 1886, p. 217.

ecclesiastica, ad ministeria sacra, ad bona temporalia et jus ecclesiasticum commune vel de privilegiis.

Articulus I.

De Regularium habitudine ad beneficia.

1. Beneficium propter officium, quod posterius est "certa et determinata mensura functionum ecclesiasticorum ad quas clerici a Superiore ecclesiastico stabiliter deputantur." Huic officio (generatim) adnexum est *beneficium*, quod est "jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes propter officium spirituale cui jus illud auctoritate ecclesiastica est adnexum."[1] Beneficium et officium multoties promiscue usurpantur.[2]

2. *Dividuntur beneficia* in *a*) maiora et minora prout jurisdictio propria et pro foro externo ipsis est adnexa vel tali jurisdictione carent; *b*) simplicia et duplicia (curata) prout vel curam animarum non important, sed officium dumtaxat, e.g. certas missas vel divinum servitium persolvendi, aut curam animarum et jurisdictionem in foro interno secum ducunt.

c) saecularia et regularia, prout vel a clero saeculari vel regulari administrantur.

3. *Beneficia regularia* dicuntur *incorporari* monasteriis sive conventibus. Medio nempe aevo factum

[1] *Aichner*, Comp. p. 259 sq.

[2] cf. *Phillips*, Lehrbuch des Kirchenrechts, Regensburg 1871; § 71. p. 129.

est, ut aliqua beneficia, quae pertinebant ad clerum saecularem, ab isto subtraherentur et (sicuti universitatibus ita et) monasteriis administranda traderentur, praesertim ad egestatem sublevandam. Quapropter fiebat ut reditus praesertim monasteriis concederentur, dum officium proprie dictum remanebat apud originalem possessorem, assignata huic portione, quae competebat ipsi tanquam operario mercede digno. Verum jus commune non ferebat, ut spiritualia a temporalibus separentur. Unde evenit, ut etiam spiritualis administratio (officium) transiret ad monasterium, quod "fructus jam fecerat suos" (beneficium). Canonistae porro tempore Joannis Andreae († 1348) priore solummodo loquuntur de incorporatione vel subjectione pleno sive utroque jure et subjectione non pleno jure. At post citatum canonistam usus invaluit distinguendi inter subjectionem plenissimo jure, subj. pleno jure et subj. non pleno jure.[1] Ista subjectio porro vel incorporatio monasterio nunc generatim triplici modo distinguitur, non utique eadem ratione ab omnibus canonistis.[2] Utendo distinctione, quae magis adaequata nobis apparet, *incorporatio* est *a*) jure semipleno, *b*) pleno et *c*) plenissimo. *Jure semipleno* (non pleno jure, ut alii aiunt) est illa quae fit quoad temporalia tantum, qua ecclesia (parochialis) non mutat statum, sed permanet ecclesia parochialis saecularis, nec regitur

[1] *Phillips*, l. c. § 76. p. 141.

[2] idem., e. g. l. c. differt a *Santi*, l. III. tit. 37. n. 2 sqq. p. 365, *Engel*, l. III. tit. 37. n. 10 sqq.; loquitur, de utroque modo afferens utramque distinctionem.

per regularem, aut per vicarium, sed per clericum saecularem et perpetuum parochum instituendum ab Episcopo; monasterium quidem potest illum praesentare vel nominare,[1] at collatio propria post examinationem et concursum factum spectat ad Episcopum. Reditus vero, dempta congrua portione pro parocho actuali, pertinent ad monasterium. In America Septemtrionali talis incorporatio non habet locum.[2] *Pleno jure* incorporatio fit, quando titulus paroeciae transfertur in monasterium, ita ut monasterio competat etiam administratio curae animarum. Haec unio mutat statum beneficii et ex saeculari fit regulare, cuius rector principalis censetur esse Praelatus monasterii, qui potest vel saecularem vel regularem ad nutum suum amovibilem deputare. Iste concursum parochialem non tenetur subire (nec Praelatus). Const. Pii V "Ad exequendum."[3]— Quoad nostram *Americae regionem* adverte Conc. *Baltimorensis* legem: "In casu ecclesiarum, quarum cura familiae vel societati religiosorum commissa est, non adhibetur concursus, relicta Episcopo facultate eos, si velit, examinandi."[4] Potest talis vicarius constitutus a Praelato, removeri etiam ab Episcopo, qui rogat Superiorem regularem, ut eum amoveat. Si *divisio* alicuius *parochiae* regularibus incorporatae facienda est, tunc distinguendum inter parochias canonicas et non-canonicas, quae generatim audiunt

[1] cf. *Santi*, l. III. tit. 37. n. 2. p. 365.
[2] *Smith*, Compendium Juris Canonici, ed. 4. n. 950.
[3] *Engel*, l. III. tit. 37. n. 11.
[4] tit. II. c. VI. n. 58.

missiones. Divisio, quia odiosa est[1] debet fieri, juxta Conc. Trid. praescriptum,[2] ex justa causa, quarum praecipua est distantia—non vero mera numerositas plebis, quia in hoc ultimo casu plures sacerdotes possunt accersiri—et cum certis solemnitatibus. Inter istas enumerantur: consensus exquirendus parochi antiqui ab Episcopo et omnium interesse habentium,—at si recusent isti consensum, Episcopus, si justam habeat causam, potest procedere ad divisionem—dos sufficiens assignanda ex fructibus ecclesiae antiquioris, jus praesentandi novum sacerdotem competens ecclesiae matrici. Haec ergo requisita tunc obtinent si divisio parochiae veri nominis facienda est. Verum quoad *parochias Statuum foederatorum* non videntur applicanda, quia generatim tenetur parochias in hac regione non esse proprie canonicas.[3] Unde juxta Const. *Leonis XIII* "Romanos Pontifices" d. 8. Maii 1881 pro Anglia, etc., editam et deinde extensam ad Americam Septemtrionalem (22. Sept. 1885) in qua praesertim missiones regularium considerantur, tenendum est: "licere Episcopis missiones dividere, servata forma S. C. Tridentini (sess. XXI. c. 4. de Ref.), quoad missiones quae sunt vere proprieque dictae paroeciae; quoad reliquas vero, ad formam Synodi I Provincialis Westmonasteriensis."[4] Ibi decreto XIII n. 5 legitur: "Non obstante rectoris missionarii deputatione licebit

[1] c. 8. X (III. 5).

[2] sess. XXI. c. 4. de Ref; cf. *Santi*, l. III. tit. 5. n. 102. p. 112.

[3] *Smith*, Comp. n. 242.

[4] cf. edit. *Conc. Balt.* III. decr. Baltimorae 1886, p. 220.

Episcopo, de consilio Capituli [in America: Consultorum, ex Concil. Balt. III. tit. II. n. 20], intra limites missionis cui praeponitur, novas ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat." Praefectus Ordinis tamen, si missio regularis dividenda est, audiatur, "salvo jure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad Sanctam Sedem in devolutivo tantum."[1]—"Romanos Pontifices." Si divisio missionum deinde sortiatur effectum, novae parochiae assignandus est rector, qui non debet esse regularis, immo sodalis religiosus non est praeferendus saeculari; sed Episcopus potest eligere quem vult.—"Romanos Pontifices" et resp. S. C. Negotiorum Extraord. d. 16. Nov. 1896.[2]—Ita quoad parochias non canonicas. Nam quoad alias non videtur sublatum jus praesentandi ecclesiae matrici, i.e. Superiori regulari rectorem novum. Siquidem Const. "Romanos Pontifices" in § "Profecto" quoad missiones dividendas, quae sunt proprie dictae parochiae, vult formam Trid. servatam. Jamvero ibi (sess. XXI. c. 4) dicitur esse Const. Alexandri III "Ad audientiam"[3] observandam, in qua jus illud agnoscitur. *Plenissimo jure* incorporatio fit quando non solum titulus parochiae transfertur in monasterium, sed et ipse populus

[1] "In devolutivo" dicit, ut tota causa transeat ad superiorem instantiam (hic ad S. Sedem) quae cognoscet utrum ratio appellationis sit justa, simulque decernit de merito causae; at in nostri casu divisio effectum consequetur; cf. *Santi*, l. II. tit. 28. n. 41. p. 257 sq.

[2] cf. *Santi*, l. III. tit. 37. n. 3. p. 365.

[3] c. 3. X (III. 48).

eximitur a jurisdictione Episcopi et subjicitur prorsus monasterio, per quam subjectionem constituitur Ecclesia nullius. In tali parochia (sive territorio) nihil potest Episcopus, sed parochus tum quoad institutionem, tum quoad correctionem et visitationem, tum quoad remotionem pendet a Superiore regulari monasterii. Plus ergo affert haec ultima incorporatio quam antecedens. Nam quamvis pleno jure incorporatio facta fuerit, tamen jurisdictioni Episcopi loci subjiciebatur parochus quoad correctionem et visitationem.[1]

3. Quoad *beneficia saecularia* regulares per se loquendo inhabiles sunt quominus ista suscipiant. Diximus per se loquendo, sc. ratione ipsorum status et ea, qua saecularis clerus habeat intentionem in jure fundatam ad tale beneficium (nisi legitima praescriptio [40 annorum] locum habuerit).[2] Verum hic aliqua determinanda sunt, nempe distinctio fieri debet inter beneficia. Jam vero:

a) Quoad *minora* beneficia dicendum est regulares ad ea non assumi posse absque dispensatione Apostolica. Ita Benedictus XVI in Constitutione "Cum nuper" d. 8. Nov. 1751.[3] Requiritur porro tale indultum Apostolicum etiam in casu, quo regularis constituitur coadjutor parochi saecularis.[4] Attamen *Episcopis nostris* tribuitur facultas (Form. I. art. XXII), tum

[1] Conc. *Trid.* sess. XXV. c. 11. de Regg. loquitur de hisce beneficiis; cf. *Santi*, l. c. n. 4. p. 366.

[2] *Engel*, l. III. tit. 37. n. 1.

[3] cf. Const. "Romanos Pontifices" *Leonis XIII.* § Peracta, ed. cit. p. 220; excipe Praemonstratenses; Bouix, II. p. 461.

[4] *Bouix*, II. p. 57.

praeficiendi parochiis saecularibus regularem qua parochum, tum casu exigente, ei deputandi qua vicarium alium item regularem. Duplex tamen additur clausula huic facultati: 1° *in defectu saecularium;* unde vi praesentis facultatis et sine alio indulto Apostolico Episcopi parochiam familiae religiosae in perpetuum tradere nequeunt; 2° *de consensu suorum Superiorum,* qui consensus requiritur non tantum, ut parochia in posterum per Ordinem de rectore provideatur, sed etiam ut talis vel talis ex Ordine ei praeficiatur.[1]

b) Beneficium *simplex,* e.g. canonicatus in cathedrali vel collegiata, non potest conferri regularibus sine dispensatione Apost. Sedis.[2]

c) Quoad beneficia *duplicia,* inter quae dignitates, i.e. beneficia quae sunt jurisdictione et administratione ditata, hic praecipue enumeramus, haec teneas: *α*) Regulares possunt eligi *examinatores synodales,* item *Legati* Summi Pontificis, eo casu, quo in Ordine non sint subjecti regimini Superioris, ergo Abbates, Priores (conventuales, non claustrales), Guardiani.

β) Religiosi (ex legitimis natalibus) possunt eligi *Vicarii Generales,* supposita licentia Superioris regularis et—juxta plurium sententiam—obtenta facultate Pontificia, quam petentibus Episcopis S. C. E. E. et R. R. concedere solet.[3] Verum estne tam certa illa opinio, quae requiri dicit licentiam Summi Pontificis? Fundant suam sententiam Clem. VIII decreto "de refor-

[1] *Putzer,* Comment. n. 158. p. 267.
[2] *Engel,* l. c. n. 4.
[3] cf. *Smith,* Elements, ed. 8, n. 625.

matione regularium" § 32: "Regulares extra claustra monasterii sui absque licentia Sedis Apost. degere non posse."[1] Certum videtur quod habitualis absentia a monasterio ibi intelligenda est. At quid si monasterium situm est in civitate episcopali (cathedrali) et omnia negotia sive ex monasterio sive ex cancellaria episcopali, ubi per aliquot horas morari potest, quin infringat illam legem Clem., peragi possunt? Nobis non videtur hoc contrarium dispositioni legis, si ex altera parte nullum aliud argumentum afferri potest. Mendicantes et eos, qui a Mendicantium ad alium Ordinem transeunt, legis dispositio prohibet ab hoc officio assumendo.[2]

d) Ad beneficia *maiora*, quae jurisdictionem in foro externo secum ferunt et nomine praelaturarum audiunt, *regulares* possunt assumi. Unde possunt eligi *Episcopi*. Conditiones sunt: α) ut promovendus sit ex toro legitimo, alias dispensatio Sedis Apost. requiritur; β) ut postulatio (simplex, non solemnis) fiat apud Superiorem, cui subest eligendus, alias postulatio ipso facto invalida foret.[3] Ad quid teneatur tanquam religiosus, supra ubi de obligationibus, vidimus. Hoc notandum est, quod Breviario et calendario (saeculari) dioeceseos uti debeat.[4]

[1] *Santi*, l. I. tit. 28. n. 27. p. 235.

[2] c. 1. Clem. (III. 9) loquitur de Mendicantibus generatim; *Bouix*, II. p. 57, nominat Fratres Minores tantum.

[3] cf. *Santi*, l I. tit. 5. n. 10. p. 82.

[4] *Ferraris*, "Episcopus," art. VII. n. 7.

Articulus II.

De habitudine Regularium ad s. ministerium.

Sacrum ministerium complectitur praesertim: praedicationem verbi Dei, sacramentorum administrationem et receptionem (s. ordinis).

§ 1. *Quoad praedicationem verbi Dei.*

Distinguendum est inter "*ecclesias sui Ordinis*" et "non sui Ordinis."

1. In prioribus possunt, supposita licentia Superioris, regulares praedicare quando volunt, nisi forte Episcopus loci eadem hora praedicet vel coram se praedicare faciat, ut aiunt post Clementis V dispositionem.[1] Intellige hanc ultimam clausulam de ecclesiis regularium, quibus cura animarum non est adnexa. Nam si illorum ecclesia est parochialis, eadem hora, qua Episcopus sermonem in ecclesia sua vel alia, e.g. visitationis causa, instituit, possunt praedicare; S. C. C. d. 21. Junii 1631. Eadem hora praedicare possunt regulares (etiamsi eorum ecclesia non est "curata"), qua fit praedicatio in ecclesia parochiali, sed "respiciendum est, quid pax et salus animarum dictet," monet optime Rms. Episcopus Aichner in suo Compendio.[2] Verum ut haec omnia licite—non quidem incurrerent irregularitatem—pera-

[1] c. 2. Clem. (III. 7) quod decretum loquitur de Fratribus Minoribus et Praedicatoris tantum.

[2] ed. 8, p. 485. nota 7.

gant, debent juxta Conc. Tridentini praescriptum,[1] antequam praedicare incipiant personaliter coram Episcopo se praesentare, ab eoque benedictionem petere. Si distantia (e.g. 40 milliariorum) nimia esset, benedictio obtineri poterit scriptis; S. C. E. E. et R. R. d. 20. Sept. 1583.[2] Patet hanc benedictionem semel dumtaxat, non pro unaquaque vice esse petendam; inde etiam sacerdotes regulares in hac nostra regione simul cum facultatibus Ordinarii obtinent licentiam praedicandi.[3] Episcopus antequam benedictionem impertiatur, potest exigere professionem fidei; S. C. Concilii. d. 21. Martii 1643; non vero potest regulares examinare, quamvis possit aliquibus, non vero omnibus eiusdem familiae religiosis, denegare simpliciter benedictionem, causis etiam non manifestatis.[4]

2. Quoad *ecclesias non sui Ordinis:* Ut licite in istis praedicare possint regulares debent, non tantum petere, sed *obtinere* Ordinarii loci licentiam, et quidem per litteras juxta Conc. Trid.[5]—Porro haec intelligenda sunt de concione publica in ecclesiis facienda, non vero de instructione catechetali (puerorum vel etiam adultorum); unde pro catechesibus faciendis non requiritur licentia Episcopi. Possunt regulares praedicare ad crates monialium sibi subjectarum post petitam Ordi-

[1] sess. V. c. 2. de Ref.

[2] *Piat.* II. p. 263.

[3] cf. Formulare dioeceseos St. Joseph, Missouri, n. 3, quod valet pro benedictione petita et obtenta.

[4] *Piat.* l. c.

[5] sess. V. c. 2. de Ref.

narii benedictionem—non licentiam.[1] Cetera currunt ut supra.

§ 2. *Quoad SS. Eucharistiam.*

1. Quoad *asservationem: a)* In *ecclesiis* virorum et mulierum *regularium* cum votis solemnibus SS. Eucharistia potest de jure semper asservari. Quoad monialium ecclesias dicendum est tamen SS^mum^ non posse asservari infra chorum, sed debere custodiri in publica ecclesia.[2] In domibus ruralibus et hospitiis regularium SS. Eucharistia asservari nequit.[3] Item in oratoriis regularium privatis vel publicis vel semipublicis non licet custodiri SS. Eucharistia permanenter, nisi *indultum apostolicum* obtineatur per S. C. C. vel S. C. de Prop. Fide, vel S. C. pro negotiis ecclesiasticis vel Secretariam Brevium, vel alligari possit *immemorabilis consuetudo*, quae indulti apostolici praesumptionem inducit.[4] Idem videtur dicendum de seminariis et collegiis (quae quandoque sub cura sunt regularium.) Nam et de his valet generalis regula quod in ecclesiis non-parochialibus absque speciali indulto SS. Eucharistia non liceat asservari. Tamen aliqui sustinent in oratoriis semina-

[1] *Piat.* II. p. 261.

[2] *Trid.* sess. XXV. c. 10. de Regg. Additit S. R. C. d. 16. Aprilis 1644, quoad monialium monasteria canonice sint erecta; *Decret. Auth.* S. R. C. Vol. I. n. 860.

[3] *Ferraris*, "Eucharistia," art. 1. n. 47.

[4] *Bened.* XIV. Const. "Quamvis justo," d. 30. Aprilis 1749; *Wernz*, Jus Decret. Vol. III. n. 549; *Van der Stappen*, Sacra Liturgia, Tom. IV. q. 150. p. 97. Ecclesiae regularium pro ipsis considerantur parochiales.

riorum et collegiorum SS. Euch. posse continuo asservari.[1] Forsitan haec opinio valet eo in casu, quo oratorium pro seminaristis et collegii habitatoribus considerari debeat parochialis propter carentiam ecclesiae proprie dictae parochialis. Utique consuetudo immemorabilis etiam quoad haec oratoria inducere potest jus asservandi permanenter SS. Sacramentum.

b) Hic adjungimus quae ad asservationem SS. Euch. in *oratoriis sororum* (cum votis simplicibus) quoque spectant:

α) *Episcopus* potest concedere *ex potestate ordinaria licentiam* asservandi SS. Eucharistiam solummodo *temporaneam* propter transitoriam necessitatem. Ita S. Rit. C. d. 12. Aug. 1747; 8. Martii 1879; 23. Jan. 1899.[2] Et hoc valet etiam respectu regularium oratoriorum.

β) Episcopus *sine speciali facultate*—quae in facultatibus horum Statuum foederatorum inclusa non invenitur[3]—ab Apostolica Sede recepta *non potest*

[1] Ita juxta Bouix tenet *Ball.-Palm.* Opus Theol. Moral. Vol. IV. p. 663 (ed. 2).

[2] cf. *Wernz*, l. c. n. 549. *Arndt*, Die Kirchl. Rechtsbestimmungen für die Frauen-Congregationen, Mainz 1901, p. 237; *Decret. Auth.* S. R. C. III. n. 3484, n. 4007.

[3] In facult. concedi solitis (Formis I. C. D.) nihil invenitur de ista facultate. Attamen "Episcopis huius Provinciae"—ita petierunt Patres Conc. Prov. Baltimor. IX—"facultatem permittendi ut SS. Sacramentum apud praedictas communitates [Puellarum charitatis, Sororum Boni Pastoris, aliarumque religiosarum mulierum] in congruo sacello asservetur, quando id expedire judicaverint, benigne" concessit S. C. de Prop. Fide d. 25. Julii 1858 confirmatum a Pio IX; cf. Conc. *Plenarii Balt. II. Acta et Decreta* 1868, p. 326. Unde certum est Epis-

concedere licentiam permanenter asservandi SS. Euch. in oratoriis quibuscunque quae non sunt parochiales vel non considerantur qua tales (etiamsi sorores sint subjectae omnimodae jurisdictioni Ordinarii). Hoc sequitur ex supra dictis.

γ) Quando indultum apost. sorores obtinent, uti Sororibus Ssmi. Cordis (Ladies of the Sacred Heart)[1] et aliis concessum est, *conditiones* certae praescribuntur: dummodo lampas die ac nocte accensa coram Tabernaculo retineatur; dummodo quotidie, si id fieri potest, aut saltem semel in hebdomada celebretur; dummodo claves ab aliquo presbytero custodiantur;[2] dummodo (ita quoad sorores quasdam Gregorius XVI d. 14. Maii 1833 statuit[3]) ibi saltem quinque sint contubernales vel secus plures puellae institutionis causa penes eas degant etc.[4]

copos omnes Provinciae Baltimorensis isto privilegio gaudere. Et forsitan non immerito concluderes *omnes huius nostrae regionis Episcopos* illo frui ex eo, quod acta Conc. Plenarii Balt. II. (tit. VIII. n. 416) ad illud decretum alludunt.

[1] cf. etiam earundem Constitutiones a S. C. E. E. et R. R. d. 11. Oct. 1847 et a Pio IX d. 13. Nov. 1847 confirmatas; *Arndt*, l. c. p. 237.

[2] *Van der Stappen*, l. c. p. 97. II; cf. etiam *Decreta Conc. Baltimor. II.* n. 265 sq.

[3] *Arndt*, l. c. p. 237.

[4] In Provincia Neo-Eboracensi (cf. Conc. Prov. Neo-Eborac. IV p. 89) praescribitur, ut Missa saltem semel in hebdomada ibi celebretur, et ut sorores semel saltem in mense puellas suarum scholarum, quamvis hae extra domum religiosam sint, ad oratorium ad Ssm. visitandum adducant. In Prov. S. Ludovici (cf. Synod. dioec. *S. Ludovici* 1896, p. 163) praescribitur, ut quotidie, si fieri potest, Missa in altari, ubi SS. Euch.

δ) Quando indultum habetur supra hac re, SS. Eucharistia potest asservari ibi etiam in casu, quo "in adnexa ecclesia idem SS. Sacramentum jugiter custoditur." S. Rit. C. d. 8. Maii 1866.[1]

ε) Quando domus religiosa obtinuerit indultum asservandi SS. Sacramentum, capellanus illius oratorii potest infirmis illius domus ex devotione s. Communionem petentibus, istam administrare. S. C. C. d. 6. Dec. 1688.[2]

ζ) Concessit etiam S. Rit. C. d. 30. Nov. 1880 Filiabus Caritatis, ut SS. Eucharistia asservetur in sacello, quod subest dormitorio puellarum, dummodo altari imponatur "baldachino."[3]

η) Quoad s. *functiones in istis oratoriis sororum*—quae oratoria, quatenus sunt destinata Missas dicendo ibi vel alias s. functiones exercendo debent esse benedicta ab Episcopo juxta formam in Rituali Romano praescriptam[4]—peragendas nota sequentia: Missae quotlibet possunt ibi celebrari, nam S. Rit. C. numerum non restrinxit; benedictiones et distributiones cinerum, candelarum et palmarum, benedictiones mulierum post partum,[5] ignis, seminis, ovorum similium possunt ibi

asservatur, celebretur. Quod conforme est decreto S. Rit. C. d. 16. Martii 1833.

[1] Quod concessum est Filiabus Caritatis a S. Vinc. a Paulo; cf. *Decret. Auth.* III. n. 3662 ad II.

[2] *Arndt*, l. c. p. 238.

[3] *Decret. Auth. S. Rit. C.* Vol. III. n. 3525 ad II.

[4] Decretum generale S. Rit. C. d. 5. Junii 1899, II. III. *Decreta Auth.* III. n. 4025.

[5] S. Rit. C. d. 13. Junii 1893; *Arndt*, l. c. p. 236³.

peragi; item expositio 40 horarum et benedictio, quae fit super populo; item expositio, quae fit cum reliquiis et sacris imaginibus, et benedictio quae fit cum eis supra populo; item annuntiatio festorum et jejuniorum; item conciones; possunt etiam ducere processiones intra ambitum oratorii—si extra oratorium facere id cupiunt, sorores indigent Ordinarii licentia;—item collectio eleemosynarum locum habere potest; item functiones hebdomadae sanctae insimul sumptae possunt ibi peragi;[1] at circa hoc ultimum observandum est decretum S. Rit. C. d. 9. Dec. 1899 et decr. d. 31. Aug. 1839: Regulares (eorum Superiores) proprie dicti possunt celebrare unam Missam (lectam), quin functiones s. hebd. in eorum ecclesiis peragantur, in oratorio privato; et si desit oratorium, in ecclesia januis clausis.[2] In oratoriis vero Seminariorum et piarum Communitatum, si functiones hebd. sacrae propriae nequeunt peragi, absque speciali indulto apostolico Missa in feria V legi vel decantari nequit.[3]

[1] cf. *Arndt*, l. c. p. 236, notam 3.

[2] cf. *Decret. Auth. S. Rit. C.* Vol. II. n. 2799 ad I. et II.

[3] id. Vol. III. n. 4049 ad I. et II. Idem decretum est in Mediolanensi d. 22. Aug. 1902 (cf. *Analecta Ecclesiast.* Sept. Oct. 1902, p. 392 sq.), et in eadem Mediol. d. 18. Julii 1902 (cf. *Anal. Eccles.* Aug. 1902, p. 338 sq.). Ex quibus decretis concludi potest: mos legendi dictam Missam tum in feria V in Coena Dni., tum in Sabbato Sancto in oratoriis publicis et semipublicis permitti posse, dummodo ex jure vel ex privilegio in istis oratoriis functiones in Triduo maioris hebdomadae, adhibita etiam forma minus solemni pro dioecesi ritus Ambrosiani, peragi possint. Hic refertur expresse ad rubricas Missalis Ambrosiani et insuper ad Memoriale Rituum a Bened.

c) Demum nota quoad *oratoria semipublica*, quod *omnes* qui Missae sacrificio intersunt, *praecepto audiendi Sacrum satisfaciunt*. Huius generis oratoria sunt illa in Seminariis et Collegiis ecclesiasticis; item quae pertinent ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas, ad Convictus et Hospitia, ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres etc.[1]

d) Tempore *interdicti generalis localis* possunt regulares—textus juris de regularibus tantum loquuntur, at ex pari videtur etiam extendi posse ad omnes religiosos—in suis ecclesiis quotidie missas celebrare et

XIII editum pro cleri defectu ad s. functiones peragendas. In Mechlinensi vero dioecesi permittitur ut "facultas petita" (sc. peragendi officia in hebd. s. juxta Memoriale Bened. XIII) "concedatur solummodo oratoriis sive publicis sive privatis monialium sub clausurae lege viventium et aliis oratoriis sive ecclesiis publicis, pro locorum necessitate sive magna utilitate juxta prudens Rmi. Ordinarii pro tempore arbitrium; et facto verbo cum Smo." S. Rit. C. d. 16. et 23. Martii 1876; *Decreta Auth.* Vol. III. n. 3390. Unde nobis videtur ex istis decretis posse sequentia sumi: 1° ubi SS. Euch. asservari licet (juxta decr. S. Rit. C. 14. Junii 1659) ex jure vel ex indulto Apostolico, et 2° functiones s. hebd. ex licentia ordinarii juxta Memoriale Bened. XIII peragi possunt, Missa in feria V in Coena Domini legi aut cantari potest, alias 3° requiritur speciale indultum Sedis Apostolicae; cf. etiam *Linzer-Quartalschrift* 1900 (53) n. II. p. 362 cuius auctor est cl. Dr. Carolus Mayer. Notetur adhuc istam licentiam (2°) quotannis ab Ordinario peti debere. Ex voto consultoris in decr. S. R. C. d. 28. Julii 1821 ad IV.

[1] S. Rit. C. d. 23. Jan. 1899; *Decret. Auth.* III. n. 4007.

officia divina recitare, submissa tamen voce, januis clausis et campanis non pulsatis; solemniter et modo solito in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V.—excommunicatis, non vero interdictis prorsus exclusis.[1] Tamen vi facultatum (Form. I. art. 23) *Episcopis nostris* concessarum gaudent sacerdotes nostri ex facultate communicata licentia "celebrandi . . . praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis."[2]

e) S. Rit. Congregatio declaravit: "Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in *uno tantum Altari*, designando ab Episcopo;" d. 21. Julii 1696.[3] Haec tamen intelligenda sunt de continua asservatione, non de temporanea, quae in altero etiam altari quandoque, congruis de causis, e.g. occasione alicuius Festi, aut Tridui, aut novendialis, aut mensis honori alicuius Sancti consecrati permittitur. Ita S. Rit. C. d. 2. Junii 1883.[4] Altare istud potest esse aliud quam maius; S. R. C. d. 18. Maii 1878.[5]

2. Quoad *expositionem: Non licet* regularibus (et a fortiori religiosis absque votis solemnibus) in eorum propriis ecclesiis SS. Sacramentum *publice* exponere, *nisi ex causa publica* (qualis esset specialis devotio promovenda [6]), quae probata sit Ordinario. Ex *causa*

[1] c. 24. 6° (V. 11).
[2] cf. *Putzer*, Comment. n. 161. p. 281.
[3] *Van der Stappen*, l. c. tom. IV. q. 151. p. 97.
[4] id. p. 98.
[5] *Decreta Auth.* S. R. C. Vol. III. n. 3449.
[6] *Lehmk.* II. n. 133.

autem *privata* possunt illud exponere, dummodo SS. Hostia e tabernaculo non extrahatur et sit velata ita, ut ipsa videri nequeat. S. C. C. d. 27. Aug. 1630.[1] Hoc ultimo modo, qui vocatur *expositio privata*, fieri potest absque licentia Ordinarii et benedictio, in casu, potest dari cum SS. Sacramento. S. R. C. d. 30. Nov. 1895.[2]—Si vero regulares habeant pro se *consuetudinem legitime praescriptam*, approbatione Episcopi, etiam pro publica expositione, scilicet: extracto SS. Sacramento e tabernaculo et S. Hostia detecta, non indigent, praesertim eo in casu, quo fit in ecclesia regularium—clausis foribus, vel in eorum oratoriis privatis,—quia tunc revera expositio, quamvis sit publica pro praesentibus, non tamen potest vocari simpliciter publica, absente populo.[3]

3. Quoad *administrationem:* Regulares possunt in suis ecclesiis (etiamsi non sint parochiales) vel per se vel per alios sacerdotes ibi celebrantes, s. *communionem* dispensare quibuscunque christifidelibus, exceptis communione paschali et viatico. Die vero Paschae, et aliquibus in locis, v.g. Romae, etiam feria V in Coena Domini, regulares prohibentur ab administranda s. communione in suis ecclesiis, nisi forte consuetudo legitima aliter ferat.[4] Romae certe non adest ista consuetudo.[5] Attamen famuli, qui "actu ipsis regularibus inserviunt, inter monasterii septa resident et sub

[1] *Bened.* XIV, de Synodo dioec. l. IX. c. 15. n. 92.
[2] *Decret. Auth.* S. R. C. III. n. 3875. III.
[3] cf. *Ball.-Palm.* IV. p. 166. n. 277.
[4] *Marc*, Instit. Moral. II. n. 1537.
[5] *Ball.-Palm.* IV. p. 654. n. 95.

Praelatorum obedientia vivunt," communionem paschalem hoc quoque die recipere possunt a regularibus in suis ecclesiis (et oratoriis).[1] Idem dicendum esse videtur de convictoribus sive alumnis internis, non vero externis.[2] Tamen hoc non valet de famulis monialium; nam tales debent s. communionem "tempore paschali a parochis, in quorum parochiis monasterium et mansiones sitae sunt" recipere, uti expresse declaravit S. C. C. d. 19. Sept. 1722.[3] Ceteroquin in *nostra regione*, cum fideles quicunque possint accipere s. communionem paschalem, etiam die Paschatis a quocunque sacerdote approbato, hoc etiam licere dicendum alumnis regularium,[4] immo (salvo meliore judicio) et alumnis et familiaribus monialium. Regulares non possunt administrare *Viaticum* (praesertim non publice SS. Eucharistiam per plateas deferre) nisi iis, qui exemptionis privilegio gaudent vel de eo participant, ergo nonnisi professis, novitiis et familiaribus ut supra descriptis. "Religiosi vero praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia," excommunicationem Papae simpliciter reservatam incurrunt.[5] Licentia prae-

[1] *Marc*, II. n. 1571.

[2] Quoad alumnos distinguunt aliqui, utrum institutum alumnorum dependeat a civili auctoritate an vero a solis regularibus. In priori casu dicunt indigere ad hoc regulares speciali privilegio; non vero in secundo, quamvis controvertatur; cf. *Piat.* II. p. 246 sq.; haec distinctio nihil valet apud nos.

[3] *Marc*, II. n. 1571.

[4] *Smith*, Elements ed. 8, Vol. I. n. 432, n. 651 sqq.

[5] Const. "*Apostolicae Sedis*," II. n. 14.

sumpta sufficit; casus vero necessitatis intelligitur, si periculum sit in proximo, ut aegrotus absque s. communione esset moriturus, vel si parochus acciri facile nequeat. Alterutro obtinente habetur casus necessitatis. Religiosus hic sumendus est stricto sensu, i.e. ex Ordine formali. Et quia Const. "Apost. Sedis" loquitur solummodo de "clericis" et "laicis," non vero regularibus, inde excommunicationem non incurrit qui administrat viaticum aliis regularibus, etiam alterius Ordinis.[1]

§ 3. *Quoad Poenitentiae sacramentum.*

Adverte nos hic loqui de confessariis regularibus quoad audiendas *confessiones saecularium* (et monialium), non vero quoad audiendas confessiones proprii Ordinis sive confratrum. Dicimus ergo:

1. Confessarius regularis, etsi approbatus ab Ordinario loci, indiget Superioris sui consensu, saltem tacito, et in casu necessitatis, praesumpto, ad *licite* audiendum confessiones saecularium.[2]

2. Nullus regularis *valide aut licite* excipere potest confessiones saecularium, licet a Superiore suo instructus sit et approbatione et jurisdictione et deputatione, *absque approbatione Ordinarii* loci cui subjecti sunt saeculares.[3]

3. Regularis facultate ab Ordinario instructus semper

[1] cf. *Ball.-Palm.* Vol. II. p. 261. n. 467.

[2] *Conc. Trid.* sess. XXV. c. 4. de Regg.

[3] ibid. sess XXIII. c. 15. de Ref. et. prop. XIII. ab Alex. VII. proscripta; cf. *Denzinger*, Enchiridion, n. 984.

valide excipit confessiones saecularium, licet non approbatus juxta leges proprii Ordinis vel invito Superiore, imo licet ab isto sit suspensus a munere confessarii.[1]

4. Quae hucusque dicta sunt, controversiae non subjacent. Nota tamen n. 2, ubi dictum est "valide aut licite." Ratio est haec: Moralistae[2] generatim dicunt regulares accipere jurisdictionem, mediis suis Superioribus, a Summo Pontifice. Verum huic opinioni adversatur alia, quae recentissime fuit defensa a *Santi*, optimae notae canonista, qui contendit jurisdictionem regularibus ante Conc. Tridentinum numquam fuisse

[1] Ita S. C. E. E. et R. R. d. 2. Martii 1866 respondit ad dubia proposita a procuratore generali O. P. ad 1^m et 4^m; cf. *Bizz.* Collect. p. 755; *Santi*, l. III. tit. 37. n. 8. p. 367. Nota quod in dicta decisione S. Congregationis nihil dicitur, utrum *in* monasterio, *an extra* ipsum confessio saecularis personae audiatur. Casus tamen nobis occurrit, quo obiciebatur saecularem non posse audiri valide a regulari, etiamsi facultate ab Ordinario instructo, *in monasterio;* et unica ratio erat—territorium exemptum esse a jurisdictione Episcopi. Jamvero, qui ita loquuntur, confundunt territorium et exemptionem. Porro saecularis eo quod transeunter in monasterio moratur, nec eximitur a jurisdictione Episcopi, cui aliter est subjectus, nec fit subditus Praelati illius monasterii, in quo transeunter degit. Hoc enim clare expressum est a Conc. Trid. sess. 24. c. 11. de Ref. ubi declaratur, quinam praecise de privilegio exemptionis participant; sunt enim religiosi ipsi et familiares jam supra descripti. Ratio territorii solummodo valet quoad monasteria vere nullius. Insuper, si illa ratio valeret, S. C. certe circa ipsam scivisset et declarasset aliquid. Futilem proin judicamus illam objectionem, quae solummodo potuit oriri ex confusione supra dicta.

[2] cf. *Sabetti*, Theol. Moral. ed. 13; n. 774 sq.; *Lehmk.* II. n. 379. IV; *Gury*, II. n. 557.

absolute concessam a Papa, nec esse tam clare concessam ab isto concilio (sess. XXIII. c. 15. de Ref.), ut non relinquatur aliquod dubium, et declarationem S. C. E. E. et R. R. d. 2. Martii 1866 esse contra Moralistarum opinionem.[1] Nec immerito istam sententiam Santi sat probabilem dixeris, si inspicies praxim, uti ait Bizzarri, S. C. E. E. et R. R. necnon S. Poenitentiariae.[2] Pro scopo huius libri sat est adducere quae dicit Sabetti:[3] "Ad absolutionis validitatem approbatio Episcopi [non solummodo communicatio jurisdictionis a Superioribus regularibus facta], velut *conditio sine qua non*, requiritur."

5. Episcopus potest eos regulares ad examen vocare, qui *a*) sine examine approbati fuerunt, *b*) post examen, limitate tantum approbari poterant; saltem tempore approbationis elapso, *c*) non ab Episcopo, sed ab eius Vicario, aut antecessore, licet examinati, approbationem acceperunt, etiamsi illa fuerit illimitata,

[1] Praelectiones Juris Canonici, ed. Pustet 1898, Vol. III. p. 368 sqq. l. III. tit. 37. n. 9 sqq. Communicavit tamen nobis cl. Rev. vir criticus, cui manuscriptum fuit ad examinandum subjectum ab Editoribus, se suspicari istam opinionem non fuisse ipsius Santi († 1886), sed cl. Martini Leitner, qui istam editionem publici juris fecit. Originalem editionem non potuimus inspicere. Tamen argumenta allata nobis apparent sat valida, quisquis ille est, qui illa proponit.—Occasione hic arrepta illi Rev. viro critico, cuius nomen nos latet, nostram quam maximam gratitudinem cupimus exprimere pro examine attentissimo et notis nobis communicatis.

[2] *Collectanea* S. C. E. E. et R. R. ed. Rom. 1885, p. 723.

[3] Theol. Moral. n. 775.

d) vocati ratione causae confessionem tangentis, etiam post examen ab Episcopi approbati absque limitatione.[1]

6. Superior religiosus, quando ex Episcopi delegatione adhibet subditum ad opera generalia sacri ministerii, seclusa hypothesi specialis alicuius restrictionis, censetur ipsi subdito concedere omnimodam facultatem pro quibusvis poenitentibus, et pro omnibus quoque casibus reservatis in concessione episcopali contentis.[2]

7. Quoad *casus reservatos* attendi debet ad tenorem; unde hanc regulam teneas:

a) Si Episcopus generalem dedit facultatem, casus reservati non censentur comprehensi in ea, etsi non expresse eximantur; *b*) si Episcopus ampliorem facultatem concessit, v.g. "pro Missionariis," et Superior subdito suo etiam generali modo illam communicat, censetur omnes facultates ab Episcopo acceptas communicare; *c*) si Episcopus pro certo tantum fine facultates dederit, illae ulterius non extendantur.[3] Huc etiam facit propositio 12. ab Alexandro VII proscripta: "Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate."[4] Qui plura cupit scire, inspiciat Moralistas.

De monialium confessariis.

1. Aliae moniales subduntur Praelatis regularium, aliae Episcopo; illis Praelatus regularis assignat con-

[1] *Lehmkuhl*, II. n. 382. 3.
[2] *Sabetti*, n. 775. 6°.
[3] *Lehmk.* II. n. 383. 2.
[4] *Denzinger*, Enchiridion, n. 983.

fessarium, *approbatum tamen et quidem specialiter pro monialibus* ab Ordinario loci; his confessarium assignat Episcopus. Ita ex Const. Gregorii XV "Inscrutabili," d. 5. Feb. 1602, §5; S. C. C. d. 7. Junii 1755 ad XI.

2. Accuratius ista facultas approbandi Ordinariis competens definitur in responsionibus S. C. Concilii [1] ita, ut *ab audiendis monialium regularibus subjectarum*, etiam *quoad valorem excludantur: a*) non solum subditi, sed et *Superiores; b*) confessarii qui solum pro *saecularibus* approbati fuerunt; *c*) confessarii approbati pro *uno* tantum monasterio, quoad *cetera* monasteria; *d*) confessarii *extraordinarii* pro una vice approbati quoad ceteros supervenientes casus; *e*) confessarii approbati quidem, sed ab Episcopo approbatione *privati* postea.[2]

3. Alius confessarius est ordinarius, extraordinarius alius. Ita ex Const. Benedicti XIV "Pastoralis curae" d. 5. Aug. 1748. Quoad *qualitates confessarii ordinarii* haec tenenda sunt:

a) Confessarius sit *unus* pro singulis monasteriis; non statuantur plures. Bened. XIV in Const. cit.; neque unus pro pluribus monasteriis, nisi necessitate aliter cogente; S. C. E. E. et R. R. 4. Mart. 1591.

b) Confessarius ordinarius constituatur nec ad brevius nec ad longius tempus quam *triennium*. Si absque consensu Ordinarii pergeret absolvere moniales ultra triennium, eiusmodi absolutiones forent non solum illicitae, verum et invalidae, quotiescunque saltem

[1] cf. *Bullarium Roman.* tom. V. p. 5.

[2] *Santi*, l. III. tit. 37. n. 19, Vol. III. p. 386.

specialis approbatio et jurisdictio ab Ordinario danda requiritur.[1] Ait quidem Sabetti: "Quoniam huiusmodi restrictio [quoad triennium] non servatur ubique,[2] imo propter penuriam confessariorum, praesertim apud nos [Americae Septemtrionalis], servari non potest, dicendum est, approbationem valere usquedum verbis aut facto revocetur."[3] Libenter huic sententiae subscribimus quoad sacerdotes saeculares in hac regione. At certe licet aliquid addere circa confessarios monialium ex regularibus sumptos. Nam existunt hic (et alibi) monasteria cum triginta et amplius regularibus, ex quibus quandoque constituuntur confessarii monialium (vel sororum). Jamvero ratio penuriae sine dubio absurde quoad tales alligatur—et tamen fit, ut regulares ex his monasteriis per binum triennium constituuntur confessarii ordinarii. Quid sentiendum sit de tali consuetudine, quae multoties qualitatibus legitimis ad praescriptionem inducendum destituitur, nobis non liquet.—Porro haec conditio "ad triennium" servari oportet etiam quoad *sorores*, i.e. moniales absque clausura et votis solemnibus in eo casu, quo istae apud unum confessarium ordinarium confessiones instituunt. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 20. Julii 1875 et 29. Januarii 1847.[4] "Sed cum aliquando ex peculiaribus rerum adjunctis evenire possit, ut confirmatio ad aliud triennium non solum utilis, sed necessaria sit, hinc eadem

[1] cf. *Santi*, l. III. tit. 37. n. 22, Vol. III. p. 389.
[2] idem dicit *Lehmk.* II. n. 400. ad. I. 2.
[3] n. 777. p. 576. ed. 13.
[4] *Bizzarri*, Collect. p. 116.

S. C. E. E. et R. R., audito Ordinario, et sanctimonialibus capitulariter per secreta suffragia, in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum, ac etiam ad tertium triennium, ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad II triennium consensus duarum ex tribus partibus ($\frac{2}{3}$) monialium concurrat; et pro confirmatione ad III triennium omnium consensus accedat. Ordinarius vero de probitate vitae et prudentia Confessarii referre debet, et S. C. certiorem reddere de necessitate, vel saltem utilitate confirmationis." [1]

Praebet ergo lex ecclesiastica facilitatem ut tum utilitati s. sacramenti consulatur et incommodo ex quacumque parte exsurgenti medeatur Superior. Non ergo adest tanta necessitas, ut lex tam saepe et diligenter inculcata parvipendatur. Insuper adest aliud remedium. Moniales nempe cum licentia extra monasterium degentes et sorores congregationum gaudent libertate accedendi ad sacerdotes omnes animarum curatores (vel aliis verbis: consuetis facultatibus ab Ordinario instructos, etiam sine "speciali approbatione pro monialibus") in ecclesiis confessionis instituendae causa; nam tunc obligatio triennii non urget; S. C. E. E. et R. R. d. 20. Julii 1876.

c) *Aetatis maturitas* etiam requiritur, uti Bened. XIV in "Pastoralis curae" n. 9. dicit et S. C. E. E. et R. R. d. 12. Maii 1617 [2] amplius declaravit esse aetatem 40 annorum requisitam. Attamen hoc valet pro confessariis monialium cum votis solemnibus vel ut alii

[1] *Bizz.* ibid. p. 13 (Nota).
[2] *Bizz.* l. c. p. 335.

loqui solent, stricti nominis,[1] non vero sororum congregationum.

d) *Regulares* excluduntur a munere confessarii ordinarii monialium Episcopo subjectarum, si venia Sedis Apost. non accedat; S. C. E. E. et R. R. d. 17. Martii 1893.[2] At facile ista venia obtinetur a S. Congregatione, si deficiunt sacerdotes saeculares idonei; S. C. E. E. et R. R. d. 5. Sept. 1727.[3] In monasteriis regularibus immediate subjectis non expresse praecipitur, ut regularis eiusdem Ordinis in confessarium ordinarium assumatur.

e) *Ad munus confessarii* ordinarii dein spectat, ut jurisdictionem exerceat in sibi commissas, idque in *foro interno* tantum; ipsi (soli) competit facultas dandi Apostolicam Benedictionem in articulo mortis; S. C. Indulg. d. 23. Sept. 1775.[4] Non vero competit confessario, qua tali, munus celebrandi missam conventualem, conferendi sororibus periclitantibus s. viaticum et extremam unctionem, concionandi; haec diximus ipsi non competere, qua tali, sed tunc solum si simul est capellanus.[5]

Advertе tandem hucusque dicta valere dumtaxat de monialibus proprie dictis (claustralibus) nisi aliter expresse adnotatum fuerit (3. *b*). Nam est discrimen inter moniales claustrales et inter moniales latiore

[1] *Santi*, l. III. tit 37. n. 22. p. 390.
[2] ibid.
[3] ibid. p. 391.
[4] *Decreta Auth. S. C. Indulg.* Ratisbonae 1883, n. 237 ad 9m.
[5] *Santi*, l. c. n. 23.

sensu sumptas aliasque mulierum congregationes quoad confessarium; nempe α) ut generalis approbatio ad excipiendas confessiones nullatenus sufficiat pro confessionibus monialium claustralium audiendis, etsi in approbatione nulla restrictio sit facta, dum β) generalis approbatio ab Episcopo data sufficit ad audiendas confessiones monialium latioris sensus, sc. non-claustralium et sororum.[1] Si Episcopus has vult exceptas, debet eas positive in facultatibus excipere,[2] alias approbatus ab Episcopo potest audire non-claustralium confessiones, imo esse confessarius ordinarius. Ergo vi facultatum generalium ab Episcopo acceptarum *regulares* possunt *valide* audire confessiones fere *omnium sororum in hisce Statibus foederatis*, si excipias moniales de Visitatione B. M. V. in "monasteriis locorum Georgetornensis, Mobile, S. Aloisii et Baltimorae"[3]—et idem valet de sacerdotibus saecularibus a fortiori, si sunt facultatibus instructi, quia sorores istae sunt Episcopis, non vero regularibus subjectae. Possunt regulares illarum confessiones, si accedit consensus Superioris regularis, licite audire.[4]

[1] Ratio cur "claustrales" et moniales proprie dictae identificari possunt, est, quia juxta mentem Juris Canonici clausura papalis monialibus cum votis solemnibus dumtaxat concedi solet; S. C. E. E. et R. R. d. 7 Feb. 1592 et d. 16. Aprilis 1619; cf. *Bizzarri*, Collect. p. 734, notam.

[2] *Lehmk.* II. n. 400.

[3] cf. *Bizzarri*, l. c. p. 735 sq.

[4] Vide resp. S. C. E. E. et R. R. d. 2. Martii 1866 ad II. Immo valide absolvit sacerdos approbatus "ad confessiones excipiendas personarum utriusque sexus, non tamen religiosarum" si

4. Confessarius *extraordinarius* ab Episcopo, si moniales ipsi sunt subjectae, et Superioribus regularibus, si istis sunt subjectae, bis aut ter in anno offeratur monialibus. Conc. Trid. sess. XXV. c. 10. de Regg. Circa quod statutum observa:

a) *omnibus monialibus*, sive proprie dictis sive sororibus congregationum (novitiis quoque) offeratur. Non vero requiritur ut moniales apud ipsum confiteantur. Sufficit ut se sistant ipsi ad audienda monita salutaria. Bened. XIV "Pastoralis curae" § 3.

b) Eo quod *bis vel ter* extraordinarius concedendus dicitur, non sequitur non pluries posse talem offerri. Immo ex Const. "Pastoralis curae" Superiores sese minime difficiles praebere debent in concedendo talem confessarium, moniali petenti α) in periculo mortis; β) si alias nequit adduci, ut ordinario confessario confiteatur; γ) imo etsi id non recusat, si modo ex rationabili causa alterum desiderat. In articulo mortis, etiam monialis potest cuilibet sacerdoti, etiam non approbato, confiteri ab eoque absolvi. Trid. Con. sess. XIV. c. 7.[1]

b) Iste confessarius *extraordinarius*, sive a Superiore regulari, sive ab Episcopo constitutus *indiget speciali approbatione Ordinarii* loci, si agitur de monialibus claustralibus (proprie dictis), non vero, si agitur de monialibus non-claustralibus. Constat ex supra dictis. Ne concludas tamen quemque sacerdotem approbatum

fortuito soror ad ipsum in ecclesia confitetur; nec interrogare debet sororem de adjunctis, in quibus ista versetur. S. Poenit. d. 7. Feb. 1901; cf. *Anal. Eccl.* 1902, April. p. 173.

[1] cf. *Lehmk.* II. n. 401.

licite posse adire conventum audireque confessiones sororum.

c) Si Episcopus monialibus sibi subjectis extraordinarium statuere negligit, *negligentiam* supplebit Major Poenitentiarius; si Superiores regulares quoad sibi subjectas id negligunt, oblatio extraordinarii spectat ad Episcopum; S. C. C. d. 23. Aug. 1631 et Bened. XIV in Const. cit.

d) Si quae monialis putat se habere causam sibi adsciscendi extraordinarium, adeat Superiorissam, quae deinde advocabit extraordinarium. Ad hunc deinde spectat judicare, utrum probabilis adsit causa recurrendi ad se; cognito non adesse talem causam "*tenetur* in conscientia" iste confessarius "ad declinandam confessionum sororum auditionem"; S. C. E. E. et R. R. d. 1. Feb. 1892; d. 17. Aug. 1891; decretum "Quemadmodum" d. 17. Dec. 1890, IV.[1]

e) Convenit ut *plures* extraordinarii deputentur, ut ex ipsis moniales (hoc valet praesertim de "sororibus" juxta "Quemadmodum IV; at ratione simili ad moniales potest extendi) eligant; S. C. E. E. et R. R. d. 17. Aug. 1891. Utique penuria sacerdotum hanc sapientissimam dispositionem exequendam impedit. Unde etiam Vicarii Generales, parochi, canonici, qui generatim loquendo prohibentur a munere confessarii ordinarii,[2] possunt esse extraordinarii.

f) *Superior regularis* quoad moniales sibi subjectas, *obligatus* est ad deputandum extraordinarium, saltem

[1] cf. *Batandier*, Guide Canonique, Paris 1898, p. 253.

[2] cf. *Lucidi*, de Visitatione ss. liminum, ed. 3, t. II. p. 189.

semel in anno, ex clero *saeculari* vel regulari diversae familiae [1] — Bened. XIV "Pastoralis curae," circa medium. Haec quoad S. Poenitentiae sacramentum sufficiant.

§ 4. *Quoad S. Extremae Unctionis sacramentum.*

Regulares praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, sacramentum Extremae unctiones ministrantes, absque parochiali licentia, excommunicationem Papae simpliciter reservatam incurrunt.—"Apostolicae Sedis" II. 14. Quoad explicationem vide supra, ubi de viatico, § 2. n. 3, p. 283.

§ 5. *Quoad S. Ordinis sacramentum.*

1. *Regulares*, nisi de legitima contraria consuetudine aut de speciali privilegio,—privilegium dico quod post Concilium Trid. fuit concessum vel confirmatum forma specifica, et quidem nominatim religiosae familiae, non solum vi communicationis privilegiorum—quale competit v.g. Societati Jesu,[2] ordinari debent ab *Episcopo, in cuius dioecesi monasterium* situm est. Ex decreto Clem. VIII d. 15. Martii 1596; Const. Benedicti XIV "Impositi nobis" d. 4. Martii 1747.

2. Quodsi Episcopus *proprius absens* est vel ordina-

[1] cf. *Santi*, l. III. tit. 37. n. 27.

[2] Ex Const. Gregorii XIII "Pium et utile" d. 22. Sept. 1585. Isto privilegio fruitur etiam Congregatio SS. Redemptoris, ex Const. Leonis XII "Inter religiosas" d. 11. Martii 1828. Horum (Soc. Jesu et Redempt.) ergo alumni possunt ordinari a quocunque Episcopo; cf. *Santi*, l. I. tit. 11. n. 38.

tiones temporibus ordinationum non habet, Superior regularis ordinandum ad quemcunque Episcopum dirigere potest. Attamen tenetur in dimissorialibus litteris exprimere alterutram ex dictis causis, ob quam oporteat ad extraneum Episcopum confugere. Ex decreto Clem. VIII cit. Immo istis litteris debet addi authentica attestatio curiae episcopalis vel secretarii Episcopi, ex qua constet Episcopum dioecesanum vel abesse vel ordinationem non esse habiturum legitimo tempore proximo ad ordinationem statuto; minime vero sufficiunt attestationes, quibus declaratur ipsum Ordinarium extra tempora statuta (sc. extra sex sabbata), ordinationem non habiturum. "Impositi nobis," Bened. XIV et S. C. C. d. 18. Aug. 1888.

3. *Vacante* Sede episcopali Superior concedere potest litteras dimissoriales ad quemcunque Episcopum; S. C. C. d. 20. Julii 1675.

4. Quodsi ordinandus regularis sit ex dioecesi vere *nullius*, Superior talis monasterii—generatim dictus "Abbas nullius"—debet isti ordinando litteras dimissorias concedere ad Episcopum viciniorem; ex decr. S. C. C. d. 24. Aug. 1619. Vicinitas vero aestimanda est ex proximitate inter ecclesiam cathedralem Episcopi et Abbatiam, non autem territorii.[1]

5. Requiruntur quidem ad ordinationem licite suscipiendam etiam litterae *testimoniales*, quae differunt a *dimissorialibus*. Nam istae sunt documentum scriptum, quo alieno Episcopo committitur officium exercendi, quod Episcopus proprius deberet peragere, quo docu-

[1] cf. *Santi*, l. I. tit. 11. n. 35, Vol. I. p. 135.

mento accepto iste alienus Episcopus repraesentat proprium—et quoad ordinationem—promovet subditum non suum. Testimoniales, olim commendatitiae vocatae, authenticam fidem faciunt de "natalibus, aetate, moribus et vita" et etiam ex Const. "Apostolicae Sedis" de libertate ab impedimentis canonicis, sc. a censuris et irregularitatibus.[1] Quaenam pro regularibus praescribuntur? Hac in re attendendum est decretum "*Auctis admodum*" d. 4. Nov. 1892 jussu Leonis XIII a S. C. E. E. et R. R. editum, ubi dicitur: "Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi praeter alia a jure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum S. Theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo;" n. VI. Ibi de moribus, aetate, etc. nihil dicitur. Curnam? Quia standum est judicio Superioris regularis, uti declaravit S. C. Concilii d. 28. Feb. 1654.[2] Insuper litterae testimoniales requisitae pro admissione ad habitum, juxta decretum Pii IX "Romani Pontifices" d. 25. Januarii 1848, sufficere videntur ad judicium de qualitatibus ordinandi efformandum et stabiliendum. Quoad aetatem, S. C. C. d 12. Dec. 1733 requirit eam expressam in litteras, quae exhibentur a Superioribus regularibus. Attamen praeter scientiam et aetatem aliquid amplius debet exprimi

[1] *Santi*, l. c. n. 34. p. 134.
[2] cf. *Piat.* II. p. 291. 5, notam 6.

in litteris testimonialibus, sc. libertas ab impedimentis canonicis.—"Apostolicae Sedis." Unde haec tria: scientiam, aetatem et libertatem ab impedimentis canonicis litterae testimoniales continere debent. Verum quia propter civiles leges iniquas—non utique in hac nostra regione—fieri potest ut etiam *regulares militiae civili* addicantur, et proin per longius tempus extra monasterium vivere coacti sunt, inde est quoad S. "C. super disciplina regulari" d. 27. Nov. 1892 (et S. C. C. d. 9. Sept. 1893) edidit decretum pro religiosis militiae adscriptis, quo dicti religiosi obligentur ad afferendas litteras testimoniales omnium illorum Episcoporum, in quorum dioecesibus saltem per trimestre commorati sunt.[1] In istis utique de moribus, vita, fama et canonicis impedimentis mentio fieri debet. Unde ut summatim, quae dicta sunt, repetamus: *a*) Superior regularis ordinando suo subdito concedere debet dimissorias, sive ad Episcopum proprium sive ad alienum (quoad hunc cf. 2) dirigendas, *b*) litteras testimoniales, in quibus de scientia (studio s. theologiae, juxta "Auctis admodum"), aetate et libertate ab impedimentis canonicis fertur testimonium et *c*) si agitur de religioso militiae adscripto, requiritur, praeter *a*) et *b*), ut litterae Episcoporum etc. afferantur.

6. *Regulares sunt examinandi ab Episcopo* ordinante,[2] quod examen extenditur ad scientiam dumtaxat. Quoad alias requisita, aetatem etc. standum est attestationi

[1] cf. *Santi*, l. I. tit. 11, Appendix, p. 156.
[2] *Trid.* sess. XXIII. c. 12. de Ref.

Superioris regularis. S. C. E. E. et R. R. d. 13. Julii 1730 in Camaldolensi.[1]

7. Quoad *titulum* ad quem ordinantur *regulares* (non dicimus alumnos Congregationum), ille vocatur *religiosae paupertatis*. At iste nonnisi pro regularibus, qui solemnia vota jam emiserunt, valet. *Novitii* ergo ad alium titulum, sc. beneficii vel patrimonii vel pensionis ordinandi sunt. Si quis ex Ordinibus formalibus, at nondum solemniter professus ad ordines sacros promovendus sit, dispensatio a Sede Apostolica petenda est super requisito temporis votorum solemnium, sc. ut talis "Clericus vota solemnia ante triennium . . . praescriptum nuncupare possit,"[2] non vero super requisito professionis solemnis. Talis enim dispensatio non concederetur a S. C. E. E. et R. R. Super plus anno vel 18 menses dispensatio fere nunquam conceditur, ut praxis S. C. docet. Quoad *instituta cum votis* dumtaxat *simplicibus*, dicendum est ipsorum alumnos ad titulum "*mensae communis*" vel "*missionis*" ad sacros ordines tunc dumtaxat promoveri, si "vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel si saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem;" "Auctis admodum." n. I. Si vero ratio legitima occurrat, "cur quispiam sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apost. Sede dispensatio, ut

[1] cf. *Piat.* II. p. 297; *Bizzarri* refert illud decr.; ibi de scientia tantum dicitur.

[2] Decr. "Auctis admodum" d. 4. Nov. 1892. n. II.

Clericus . . . vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum." Ita decr. "Auctis admodum." n. II.

8. Si regulares privilegio, vi cuius *interstitia*, i.e. tempus unius anni inter recipiendos respectivos s. ordines[1] decurrendum non tenentur observare, non gaudent, debent ab Episcopo proprio, sive iste ordinationem peragit, sive alienus, petere dispensationem, cuius causam non est Episcopi inquirere; et quidem hac formula: "Rogamus te Rme. Dne., ut dispensare digneris super interstitia, sicut et nos dispensamus." Ita S. C. E. E. et R. R. d. 13. Julii 1730 quoad Camaldolenses.[2]

9. Tempora s. ordinationibus habendis statuta sunt 6 sabbata, sc. 4 temporum, Sabbatum Sanctum et "Sitientes" (ante Dom. Passionis). Si regularis promovendus sit ad s. ordines *extra tempora* ista, Episcopus hoc facere potest ex "certis legitimisque causis," onerata eius conscientia his de causis.—Innoc. XII decr. 14. Dec. 1693. Si regulares habent privilegium, quo quidem plures ordines, sed non universim omnes gaudent,[3] promovendus ex ipsis ad s. ordines potest ordinari ab Episcopo alieno, cum requisita attestatione, ut supra; S. C. C. d. 18. Aug. 1888. Vi facultatum *nostris Episcopis* concessarum, isti possunt conferre

[1] *Conc. Trid.* sess. XXIII. cc. 11, 13, 15.
[2] *Bizzarri*, Collect. p. 341 sq.
[3] cf. *Piat.* II. p. 142.

"ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum inclusive, si sacerdotum necessitas ibi fuerit." (Form. I. art. I).[1] Generatim loquendo ordinationes, si fiunt extra tempora, haberi possunt *diebus dominicis vel festivis* (etiam suppressis) dumtaxat. Ita S. C. C. d. 15. Jan. 1689. In festis suppressis, si fiunt, habeantur mane tantum; S. Rit. C. d. 12. Nov. 1831.[2] Diximus, generatim loquendo; nam "in his *Statibus foederatis* et alibi, vi consuetudinis diuturnae in tenore huius facultatis (Form. I. art. I.) fundatae, ordines conferre possunt *quolibet die pro aequo Episcopi arbitrio*, ut testantur et docent Kenrick, tr. 20. n. 34., Sabetti n. 835. q. 4. 3. Neque hoc abrogatum esse videtur per decr. S. Congr., quae, quum omnia particularia sint, ad loca, in quibus existit consuetudo legitima, extendi nequeunt." [3]

Articulus III.

De habitudine Regularium ad bona temporalia.

1. *Communitates religiosae possunt* tum ex jure naturali, tum ex jure divino *aliqua possidere* et de facto possident, nisi forsitan Ordo ipse hoc non patiatur, v.g. Capuccinorum, vel gubernium nefarium prohibeat. In Statibus nostris Unitis hac in re plenissima gaudent libertate quaecunque religiosae communitates et com-

[1] cf. *Putzer*, Comment. n. 98–101. p. 144 sqq.
[2] cf. *Decret. Auth.* S. Rit. C. Vol. II. n. 2682 ad I.
[3] *Putzer*, Comment. n. 99. p. 145.

munia cum aliis corporationibus sibi vindicant privilegia,[1] regunturque earundem legibus propriis, quae quidem variant in diversis statibus. Dominium ergo rerum temporalium communitati religiosae, quae generatim consideratur tanquam persona juridica, denegari citra humanum divinumque jus nequaquam potest.

2. Porro *dominium* istud comprehendit *tres* praecipue *actus:* acquisitionem, administrationem, alienationem.

I. *Acquisitio* fit *a*) per actus inter vivos, sc. per contractus sive gratuitos sive onerosos, collectas, oblationes in ecclesia factas; *b*) per actus mortis causa, sc. testamenta pia, successionem et pia legata, dummodo haec omnia juxta normas legis civilis obtinentur; *c*) per actus inter vivos et mortis causa, sc. per donationem mortis causa et fundationes pias.[2] Porro hic notatu digna est prohibitio Innocentii XII in Const. "Nuper" dicens: "Districte prohibet ac interdicit, ne. . . . Generales in capitulis generalibus vel alias quomodocunque reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem concilium (Trid.) imposita aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur."[3] Reductio ergo missarum fundatarum omnino prohibetur absque recursu ad S. Sedem, et tunc etiam si legatum adeo sit tenue, ut nullus onus suscipere velit.[4]

[1] cf. supra. c. IV. art. I. § 1, p. 114.
[2] cf. *Aichner,* Compendium, ed. 8, p. 794.
[3] *Marc,* Inst. M. II. n. 1620.
[4] *Piat.* II. 238.

II. *Administratio* bonorum communitatis fit *per officiales* conventus, cum vel sine Capituli consensu juxta regulas cuiusque Ordinis, dummodo id fiat ad utilitatem, non autem ad detrimentum religiosae familiae. Officiales vero illi, ex decreto C. Tridentini,[1] sunt semper amovibiles. Hoc valet de officialibus in monasterio degentibus. Non est absre ut de administratione, quae *regulares curam animarum habentes*, sc. expositos respicit. Pro hac nostra regione praecipue Constitutio *Leonis XIII* "Romanos Pontifices" d. d. 7. Maii 1881 ad Anglos edita et d. 22. Sept. 1885 ad hosce Statos Foederatos extensa. Constitutio loquitur de "missionibus, quae pleno jure ad Episcopum pertinent" et de his valet quod dicit sequentibus: 1° Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos qua regulares spectantium, rationem Episcopis reddere non tenentur. 2° Eorum tamen bonorum, quae missioni, vel regularibus intuitu missionis a fidelibus oblata vel donata, juxta ipsius Constitutionis tenorem discernendum est ex statuto Westmonasteriensis Synodi II. "de bonis ecclesiasticis." Sunt igitur:

1° Sedium seu locorum assignatio certis personis seu familiis a quibus compensatio determinata datur ecclesiae (pew-rent).

2° Collectae ad offertorium in ecclesia factae.

3° Sedium singularum assignatio eiusque ab personis retributio (single seats a penny).

4° Conciones ab aliquo insigniori verbi Dei praecone, post quas generatim pro ecclesia vel pro aliqua eius

[1] sess. XXV. c. 2. de Reg.

parte seu attributione, colliguntur eleemosynae (lectures in favor of a church or other religious purpose).

5° Collectae quae extra ecclesiam fiunt vel per subscriptiones vel proprie dictas collectas de domo in domum per personas deputatas [1] (collections and subscriptions).—Ista ergo omnia sunt bona, quae considerantur tanquam ecclesiastica, de quibus rationem reddere tenentur missionarii regulares. Excipiuntur ex eodem synodi statuto collectiones quae diebus festivis Natalis Domini et Paschae fiunt, necnon et jura stolae quae "ad sacerdotes de jure pertinent." [2]—Haec omnia, diximus juxta Const. "Romanos Pontifices" valere de illis parochiis regularibus commissis, qui pleno jure ad Episcopos pertinent. Quoad *monialium bonorum administrationem* distingue inter illas Sedi Apost. vel Episcopo et illas regularibus subjectas. Si prius obtinet, Episcopus potest computa revidere et rationem exigere ab administratoribus, sive monialibus, si ipsae sint tales, sive a viris, quibus administrationem commiserunt; illos approbare, postquam a monialibus sunt electi. Si sunt regularibus subjectae, haec omnia potest etiam Episcopus, at convocatis Superioribus regularibus et intimatis ad interessendum, quando computa revidet et rationem exigit. Si administratores reddere recusent, Episcopus potest illos ad id cogere omnibus juris mediis; imo ut amoveantur ex causa rationabili, quam indicare non tenetur, a monialibus exigere potest. Ita ex Const. "Inscrutabili" Gregorii

[1] cf. *Acta Conc. Balt.* III. ed. 1886, p. 231 seq.
[2] ibid. p. 233.

XV d. 5. Feb. 1602 et ex responsis S. C. Concilii ad dubia circa eandem constitutionem.[1]

III. *Alienatio bonorum ecclesiasticorum* est "quilibet actus, quo bonum aliquod vel reapse ex dominio ecclesiae (vel monasterii) transfertur in alterum, vel periculo amissionis exponitur, vel saltem per longius tempus directae possessioni ecclesiae (sive monasterii) subtrahitur."[2] Hinc comprehendit donationem, venditionem, dationem in solutum, cessionem litis, vel juris vel actionis jam quaesitae, pignus, hypothecam, contractum, locationem diuturnam, servitutes, usumfructum, etc.

1. *Talis alienatio* regularibus quibuscunque *prohibetur, nisi accedat beneplacitum S. Sedis,*[3] idque etiamsi alienationes fiant inter monasteria eiusdum Ordinis et cum utriusque monasterii utilitate,[4] ita ut nequeat Praelatus regularis exuberantes redditus unius monasterii ad extinguenda debita alterius monasterii adhibere,[5] nisi agatur de Superiore Generali, penes quem resideat administratio bonorum totius congregationis. Haec lex valet extra Italiam quoque, uti ostendit Craisson[6] contra Bouix.[7] Ista lex est tam stricta, ut validitatem actus afficiat juxta "Ambitiosae" et poenam excommunicationis nemini reservatam statuerit Constitutio

[1] cf. *Richter-Schulte,* "Tridentinum," ed. Neapol. 1859, p. 543 sqq.

[2] *Aichner,* p. 805.

[3] Const. Pauli II "Ambitiosae" an. 1468, Extrav. com.

[4] S. C. C. d. 29. Feb. 1666.

[5] S. C. C. d. 27. Julii 1647.

[6] *Manuale,* n. 2923 sq.

[7] *Jus Reg.* II. p. 301 sq.

Pii IX "Apostolicae Sedis,"[1] si agitur de actu perfecto (non vero imperfecto) alienationis. Et tamen vix ista lex rite servatur!

2. Patitur tamen ista lex aliquas *exceptiones*. *Non indiget* ergo Superior regularis beneplacito Apostolico (nec consensu Episcopi), ut licite et valide alienationem perficiat, quando res, e.g. terra vel fundus est *exigui valoris;* porro iste exiguus valor juxta jus commune et valorem jam antiquatum esset 220 francorum summa (ca. 42 dollars). Ast juxta hodiernum valorem pecuniae Bouix[2] et alii computant 500 francos (=100 dollars) esse rem exigui valoris ratione alienationis. Imo nobis videtur regulares in hac nostra regione posse sequi normam a Concilio Baltimorensi III. statutam, qua Episcopi absque praehabita licentia Summi Pontificis [et etiam ab ista juxta decennales facultates ex decreto S. C. de Prop. Fide d. d. 25. Sept. 1885 eximuntur] alienare possunt, "ubi summa pecuniae non excedat valorem quinque millium scutatorum"[3] ($5000). Nam in decreto isto peculiares circumstantiae regionis nostrae adducuntur in favorem exemptionis veniae petendae a S. Sede, si summa valorem 5000 scutatorum excedit; unde implicite statui posse videtur valorem 5000 scutatorum esse talem, qui inspecto currente

[1] tit. III. n. 3.

[2] l. c. II. p. 291.

[3] cf. Acta *C. Balt.* tit. II. n. 20. Hoc insuper deduci posse putamus ex praxi S. C. E. E. et R. R. Nam ista concessit, e.g. Sororibus Doctrinae Christ. d. 17. Junii 1897 ad 7, alienationem absque "beneplacito Apost." summae, quae non excedit 10,000 libellas; cf. *Batandier*, Guide Canonique, p. 213. n. 261.

valore (current) communi pecuniae adhuc exiguus sit. Porro talis est etiam pro regularibus, qui negotia in hac nostra regione peragunt. Dico pro nostra regione; nam si forsitan pecuniam sumunt vel conducunt ex aliena regione, valor illius regionis tanquam norma sumenda esse videtur. Haec nostro judicio.

3. Insuper *Alienatio absque beneplacito Apostolico* fieri potest, si 1° res sit exigui valoris sc. talis ut eius reditus ad eam conservandam non sufficiant; aut talis, ut verisimiliter ad triennium, sine notabili deterioratione, non sit perduratura, v.g. vestis, jumentum, etc. 2° si urgeat necessitas, quae moram non patitur vel adsit magnae utilitatis occasio, quae alias transiret, vel 3° si res relicta vel donata sit ecclesiae sive monasterio ea lege, ut alienari possit, vel 4° si res relicta sit incapaci possidendi, ut sunt Minores Observantes et Capuccini, qui rem idcirco vendere possunt et applicare in ecclesiae vel monasterii utilitatem, vel 5° si habeatur privilegium speciale et personale; (nam ex decreto S. Officii d. d. 22. Dec. 1880 constat abrogata esse, tum privilegia antiqua ab ipsa Sede Apost. concessa, alienandi sc. absque beneplacito Apost., tum consuetudines particulares huic legi contrarias, quamvis immemorabiles.)[1]

4. *Contendunt quidam,* etiam in alienatione rei exigui valoris et mobilis non pretiosi Praelatum regularem indigere *licentia et decreto Ordinarii.*[2] Et revera ita habet *Bizzarri* in "Collectanea."[3] Craisson

[1] *Marc,* Vol. I. n. 1353.
[2] *Ferrari,* de Statu religioso, p. 313.
[3] Ed. 2, p. 299.

porro hanc doctrinam mitigat quoad bona mobilia non pretiosa, dicens harum alienationem licere Superioribus regularium (non vero monialium) absque decreto et licentia Ordinarii, juxta Const. Benedicti XIV "Emanavit" d. d. 21. Jan. 1758.[1] Huic sententiae (tum Bizz. tum Craisson), quamvis contradicere non praesumamus, tamen consuetudo videtur contraire.

5. Quid venit nomine "*mobilium pretiosorum*"? Alia sunt pretiosa vel ipsius rei essentiâ, e.g. vasa ecclesiae argentea et aurea, vel Bibliotheca, vel ratione alicuius rei adjunctae, e.g. reliquiae et imagines, quae apud populum magna veneratione dignae dicuntur, vel libri et res artium, ratione antiquitatis vel raritatis.[2] Ista ergo, tanquam mobilia pretiosa absque beneplacito Apost. alienari nequeunt. *Res mobilis* est pecunia, fructus et jumentum. Porro licite, absque Sedis Apost. indulto pecunia communis potest expendi ad emenda bona immobilia fructifera, vel collocari apud bancarios. Fructus possunt vendi superflui, ut res fructificet potius, quam pereat. Jumentum generatim distinguunt in gregem et singulos, dicendo hoedos, arietes, vitulos, uno verbo, fructus gregum, non vero gregem ipsum, posse vendi.[3]

6. Ut alienatio bonorum immobilium et mobilium pretiosorum licite fiat, *requiritur ergo:* α) convocatio Capituli, eiusdemque consensus ita ut si Praelatus a maiori parte Capituli dissentiat, alienatio fieri nequeat,[4]

[1] *Manuale*, n. 2927.
[2] *Aichner*, p. 806, nota 12.
[3] Ita *Ferraris*, "Alienare."
[4] *Schmalz.* t. III. P. I. p. 472.

β) decretum alienandi post factam supplicationem Capituli, γ) beneplacitum Apostolicum,[1] intellige, si agitur de alienatione talis rei, quae valorem requisitum excedit juxta mentem canonum et praxim modernam.

Articulus IV.

De habitudine Regularium ad Jus commune.

Quia status religiosus, sive in abstracto sive in concreto consideratur, extra Ecclesiam Christi nequit existere, istaque imprimis gubernatur jure communi, omnis societas religiosa relationem quandam habere debet ad jus commune, deque illo participare. Verum cum status religiosus peculiare sit institutum in regno Christi visibili, fieri nequivit, quin, decursu saeculorum, crescente, ad arboris instar fructuosi, statu religioso et amplectente varia humanae societatis brachia, ipse sit ditatus variis normis, quae a jure communi videbantur discrepare. At ne nimia diversitas legum, solidum et vere mirabile canonum Ecclesiae fundamentum detrimentum pati sineret, factum est ut custodes in specula Ecclesiae positi, sapientissime discrepantiam legis universalis a normis statui religioso peculiaribus mitigare omni vigilantia conarentur, non utique despicientes vel parvipendentes religiosa instituta, sed ad normam quandam illa reducentes. At et sic non sustulerunt privilegia omnia, quae iste status veluti innata sua peculiaritate requirere videbatur.

[1] *Aichner*, p. 806.

Unde talia privilegia adhuc existunt, de quibus breviter sumus tractaturi, et quidem in genere et in specie.

§ 1. *De Regularium privilegiis in genere.*

1. Privilegium *definitur:* jus speciale seu lex privata, alicui favorem specialem concedens.[1] *Dividitur* privilegium in *a*) contra et praeter jus; *b*) reale et personale; *c*) perpetuum et temporarium. Quae distinctiones sat clarae sunt. Forsitan juvat dicere, quonam innotescat, utrum privilegium sit reale an personale. Dicunt canonistae formam verborum bene attendendam esse, e.g. si privilegium detur alicui Praelato sub nomine dignitatis, v.g. Abbati Montis Cassini, non exposito vel saltem postposito nomine proprio (vel Abbatis actualis), censebitur reale et dignitati concessum. Natura quoque privilegii considerari debet, an sit tale, quod ordinarie etiam successoribus solet concedi vel non.[2]

2. *Acquiritur* privilegium sive per concessionem formalem legislatoris sive per communicationem. *Concessio* potest fieri vel primaria concessione vel confirmatione. Prior nondum concessum esse simpliciter supponit, dum confirmatio supponit jam antecedenter factam esse concessionem, sed nunc, e.g. propter lites pendentes vel praecavendas, indigere confirmatione. At ista *confirmatio* potest fieri vel forma communi vel speciali. Prior nihil aliud dicit nisi existentiam

[1] *Schmalzgrueber*, l. V. tit. 33. n. 2; *Engel*, l. V. tit. 33. n. 1.

[2] cf. *Engel*, l. c. n. 4; *Phillips*, Kirchenrecht, 1871; ed. 2, p. 176, § 92.

alicuius privilegii, quin ad valorem aliquid addat. *Confirmatio* vero *specialis*, quae continet vel clausulam "ex certa scientia" vel documentum, primitivum privilegium repetens verbatim, aequivalet novae concessioni.[1]

3. *Communicatio* privilegiorum tunc obtinet, quando Superior (Summus Pontifex), quod uni simpliciter concessit, extendit etiam ad alterum, estque duplex: *a*) per *extensionem*, quando sc. unum idemque privilegium ad alios extenditur, illos quasi aggregando privilegiatis; tunc si augeatur vel minuatur privilegium in his, quibus fuit prius concessum, augebitur vel minuetur in omnibus aliis aggregatis; *b*) *ad instar* sc. alterius, cum ad exemplum et similitudinem unius alteri etiam conceditur. Haec etiam fit duplici modo: α) aequaliter vel *aeque principaliter* et β) *non aeque principaliter* seu accessorie. Si fit modo α), tunc utrumque privilegium stat per se independenter, et non mutatur vel perit cum prius concesso privilegio; si fit β) tunc secundo concessum privilegium dependet a primo, cum quo mutato vel pereunte, etiam mutatur vel perit.[2]

4. *Communicatio ad instar* praesertim obtinet quoad *regulares;* et imprimis *Mendicantes* inter se habent absolutam et plenissimam privilegiorum communionem ex variis constitutionis Summorum Pontificum, uti

[1] cf. *Phillips*, l. c. ait in confirmatione speciali, quando "ex certa scientia" adhibetur, privilegia a Conc. Trid. revocata, non contineri.

[2] cf. *Aichner*, p. 731 et notam 8.

Julii II, Leonis X, S. Pii V, Clementis VIII.[1] Mendicantibus adjungi debet Societas Jesu, quae omnia privilegia eo ipso acquirit, quo Mendicantibus conceduntur. "Haec communicatio," ait Reiffenstuel,[2] "currit de Praelatis ad Praelatos, de fratribus privatis ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates." "Hinc," ait Bouix,[3] "v.g. si concedatur privilegium Magistro Generali Dominicanorum, privilegium illud erit simul acquisitum Generali Franciscanorum, Praeposito Generali Societatis Jesu. Item quod conceditur pro festivitatibus sanctorum unius ordinis, concessum censetur pro festivitatibus sanctorum aliorum Ordinum"—intellige, si sint eiusdem ritus. Quoad *indulgentias* disputant auctores, utrum in communicatione sint comprehensae necne. Negativa sententia videtur esse probabilior.[4] Porro generatim auctores dicunt, etiam alios Ordines formales, non vero Congregationes, participare Mendicantium privilegia, imo et moniales, dummodo tam isti quam istae eorundem sint capaces.[5]

5. *Communicatio non habet locum* circa sequentia privilegia:

a) personalia (cf. supra n. 3), i.e. illa, quae alicui personae particulari sunt concessa;

[1] cf. *Bouix*, II. p. 77; *Aichner*, p. 487, §140. 3; *S. Alph.* de Privilegiis, n. 9, Vol. IV. p. 352 sq., ait "Mend. communicare privilegiis ceterarum religionum vel congregationum."

[2] l. V. tit. 33. n. 59.

[3] Jus Reg. II. p. 77.

[4] *Piat.* II. p. 103.

[5] *S. Alph.* de Privilegiis, n. 10; *Craisson*, n. 2934.

b) exorbitantia, i.e. quae difficulter conceduntur,[1] e.g. Pontificalia plus 3 vicibus peragendi;

c) poenalia et odiosa et quae sunt contraria propriis Constitutionibus; adeo ut praejudicent bono sive communi observantiae Religionis;[2]

d) quae alicui Ordini vel ecclesiae ad tempus concessa sunt;[3]

e) quae uni monasterio ob aliquam specialem rationem, e.g. peregrinationis causa, conceduntur.[4]

6. *Usus* privilegiorum *derogat juri communi* et simul importat, ut quis in casu, quo turbatur in eorundem usu, habeat jus agendi, illa sc. defendendo. Quapropter privilegium vivae vocis, quamvis subsistere possit in foro interno, de stilo tamen Curiae Romanae et ex regulis Cancellariae Apostolicae (regg. 25 et 53) vix sustinebitur in foro contentioso.[5]

Usus privilegiorum, generatim loquendo, *liber* est: i.e. nemo cogitur ad utendum privilegio. *Excipias* tamen casus *a*) si privilegium cedat in bonum commune; *b*) si quis non utendo privilegio damnum directe inferret proximo; *c*) si propter non-usum renuntiandum esset privilegiis communitatis vel privilegiis, quae cum aliis communia haberent.[6]

[1] cf. *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 92, n. 82; Regulam Juris 81. in 6°.

[2] *S. Alph.* de Privil. n. 11; *Reiffenst.* l. V. tit. 33. n. 66.

[3] *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 92; *Reiffenst.* l. V. tit. 33. n. 61.

[4] *Schmalzgr.* ibid; cui tamen alii contradicunt; cf. *Piat.* II. p. 100, at opinio Schmalzgr. magis probabilis nobis apparet, quia mens concedentis fertur praecise in illam causam.

[5] cf. *Engel,* l. c. n. 8.

[6] *Schmalzgr.* l. c. n. 178.

Personae quibus competit facultas *utendi* privilegiis alicui *Ordini* concessis, sunt: *a*) omnia *membra, actu talia;* unde excluduntur apostatae, qua tales, sententiâ declaratoriâ denuntiati, et ejecti ex Ordine; Episcopi regulares non possunt uti privilegiis communitati qua tali concessis, quousque extra ipsam vivunt.

b) *Novitii, conversi* (fratres laici), *tertiarii* et tertiariae in communitate viventes — quoad ultimam classem, ait S. Alph. "si votum castitatis habeant."[1]

c) *Famuli*, qui sunt vere commensales, etc., non participant in omnibus privilegiis, quae conceduntur religiosis, sed iis dumtaxat, quae ratione communitatis ipsis competunt, e.g. exemptionis.[2]

d) *Moniales*, tam Mendicantium quam non Mendicantium, gaudent privilegiis monachorum sui Ordinis et consequenter cuiuscumque alterius Ordinis in omnibus, quorum capaces sunt.[3]

7. *Interpretatio* authentica vel juridica *a*) a principe tantum, i.e. Summo Pontifice vel ab iis, quibus iste commiserit, potest fieri; *b*) Concessum est etiam Generalibus, Visitatoribus et Praelatis immediatis interpretari privilegia regularium, quoties illi Praelati consulunt jurisperitos; *c*) Episcopi vero, saltem quatenus sunt Ordinarii, non possunt juridice interpretari privilegia regularium.

d) Privilegia *odiosa*, praesertim derogatoria juris communis, aut statutorum et consuetudinum regu-

[1] De Privilegiis, n. 9.
[2] cf. *Piat.* II. p. 115.
[3] *S. Alph.* l. c. n. 10.

larium sunt *stricte* interpretanda; at in *favorabilibus*, praesertim realibus, e.g. Ordini aut communitati concessis, interpretatio *lata*, imo latissima interpretatio adhiberi debet.[1]

8. *Amittuntur* privilegia variis modis, ex quibus libet sequentes adnotare:

a) Per *renuntiationem* a parte privilegiati. Adverte tamen quod renuntiatio Praelati non aboleat privilegium, nisi accedat consensus totius Capituli, et quidem generalis, si agitur de privilegio, quod respicit totum Ordinem; localis vero, si agitur de privilegio spectante aliquam communitatem privative et principaliter.[2]

b) Per *non-usum* vel usum contrarium nonnisi onerosa, non vero favorabilia amittuntur.[3]

c) Per *revocationem* concedentis aut eiusdem successoris privilegiato intimatam. Dicitur *generalis* revocatio, quando universim revocantur privilegia omnia decreto alicui contraria, v.g. per clausulam "Non obstantibus quibuscunque privilegiis," et praesertim si additur "Constitutionibus, aut legibus in contrarium facientibus." Quoad vim clausulae "Non obstantibus privilegiis quibuscunque, etc.," absque illo addito "Constitutionibus, etc.," ait Barbosa, illam derogare privilegia, quae in corpore Juris clausa non sunt, non vero ea quae in eo clausa reperiuntur, nisi additum sit "etiam clausis."[4] Verum haec clausula: "Non obstantibus privilegiis

[1] *S. Alph.* de Privil. nn. 6–8.

[2] *Schmalzgr.* l. c. n. 185.

[3] id. nn. 189, 193.

[4] De Clausulis, clausula 83. n. 1; in "*Tractatus Varii*," Lugduni 1660, p. 444.

quibuscunque, Constitutionibus aut legibus in contrarium facientibus" aut alia: "Non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus, etc." posita ab eo, qui derogare potest, v.g. Papa, operatur effectum omnimodae derogationis omnium legum, statutorum et privilegiorum, etiamsi privilegia non nominarentur.[1] Talis clausula, imo et expressior, adjuncta est decretis reformatoriis regularium a S. Concilio Tridentino propositis:[2] "Non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus et regulis, etiam juratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus."

9. Quid nunc, *post Concilium Tridentinum*, tenendum est de *regularium privilegiis?* Respondemus cum canonistis optimae notae:[3]

a) Certum est, non omnia regularium privilegia revocata esse a Concilio, imo plura "firma et illaesa" mansisse (sess. XXV. c. 20. de Regg.);

b) certum est, revocata esse omnia privilegia, quae decretis sessionis XXV. de regularibus adversantur;

c) certum est privilegia quae illis decretis (extra sess. XXV. de Regg.), quibus adjecta est clausula revocans, esse sublata, et haec sunt:

1° sess. IV. de usu et editione ss. librorum.

[1] *De Clausulis*, n. 38. p. 447; cf. *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 239; *Suarez*, de Legibus l. 8. c. 39. n. 2.

[2] sess. XXV. c. 22. de Regg.

[3] cf. *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 237 sq.; *Reiffenst.* l. V. tit. 33. n. 139 sq.; *Craisson*, n. 2938.

2° sess. V. c. 1. (R.) de instituenda S. Scripturae lectione in monasteriis et conventibus.

3° sess. V. c. 2. (R.) circa praedicationem verbi Dei, et praedicatores, qui scandala disseminant; item quaestuarios occasione praedicationis.

4° sess. VI. c. 3. (R.) circa regulares extra monasterium delinquentes, qui possunt ab Ordinario loci secundum canonicas sanctiones puniri.

5° sess. VII. c. 8. (R.) quoad visitationem ecclesiarum regularium parochialium ab Ordinario.

6° sess. VII. c. 14. (R.) quoad causas miserabilium, quas Episcopus cognoscere potest etiam contra regulares extra monasterium degentes.

7° sess. XIV. c. 11. (R.) quoad regulares ad alium Ordinem se transferentes, quod sint incapaces ad beneficia, etiam curata.

8° sess. XXI. c. 2 (R.) quoad divisionem parochiarum (cf. supra, ubi de beneficiis).

9° sess. XXI. c. 8. (R.) quoad visitationem monasteriorum, quae sunt in commendam et ubi regularis observantia servetur, per Episcopum.

10° sess. XXI. c. 9. (R.) quoad quaestuantes eleemosynas et indulgentias.

11° sess. XXII. c. 8. (R.) quoad pias causas et confraternitates quod subjacent Episcopi visitationi.

12° sess. XXIII. c. 8. (R.) quoad Episcopum proprium ratione ordinationis.

13° sess. XXIII. c. 10. (R.) quoad litteras dimissoriales, (non liceat Abbatibus quantumvis exemptis concedere tales non subditis).

14° sess. XXIII. c. 12. (R.) quoad aetatem requisitam pro ordinibus ss. recipiendis etiam pro regularibus.

15° sess. XXIII. c. 13. (R.) quoad regulares non duos ordines sacros eodem die suscipiant.

16° sess. XXII. 15. (R.) quoad saecularium confessiones ne eas regulares excipiant, nisi approbati ab Episcopo.

17° sess. XXIV. c. 1. prohibetur sub poena suspensionis, etiam regularibus, sponsos alienos in matrimonium jungere sine parochi licentia.

18° sess. XXIV. c. 11. (R.) declaratur quinam sint participantes de privilegio exemptionis, sc. familiares ut supra saepe descripti et nulli alii.

19° sess. XXV. ne in quacunque "ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam" imaginem ponere quisquam auderet.[1]

Haec fere sunt privilegia quae revocata censentur etiam pro regularibus. Ceteroquin haec, quoad disciplinam ecclesiasticam omnino tenendam, magis detrimento forent quam decori status religiosi, cui, ut pietate ita et observantia legum ecclesiasticarum excellere potius, quam exemptioni studere par est.

[1] cf. ed. *Richter-Schulte*, Neapol. 1859, p. 393, ad dub. XVI: "An liceat regularibus Eucharistiam in propriis ecclesiis exponere sine licentia Ordinarii, liceatque pariter regularibus et praesertim Benedictinis et Cisterciensibus in propriis ecclesiis insolitam imaginem aut s. reliquiam ab Ordinario approbatam exponere et tandem in iisdem ecclesiis non petita ab Ordinario benedictione aut in aliis ecclesiis sine Ordinarii licentia?" S. C. C. resp. *negative;* 7. Jun. 1755.

§ 2. *De Regularium privilegiis in specie.*

Forsitan quis expectet longam privilegiorum seriem nos adducere; at nequaquam. Nam, ut quid sentiamus, apertius liceat exprimere, de his dumtaxat privilegiis sumus solliciti, qui tranquillitati et decori status religiosi inserviunt.[1] Praeterea, quae aliqui vocant privilegia, nos jam adduximus in capitis huius limine, et praesertim in 2^da^ parte, ubi de regularium habitudine ad varia officia et s. ministeria tractavimus. Unde remanent aliqua tantum, de quibus hic dicendum est.

1. *Regulares omnes*, imo et illi, qui sunt quidem *religiosi*, at non regulares gaudent *privilegio canonis*,[2] vi cuius omnes religiosi utriusque sexus (etiam novitii et novitiae et fratres conversi et conversae sorores[3]) digni sunt quodam speciali respectu et consideratione, ut percussores eorundem, si hoc re et suadente diabolo faciunt, tanquam sacrilegio victi, excommunicentur et hodiedum isti poenae, sc. excommunicationi S. Pontifici simpliciter reservatae subjaceant (Const. "Apost.

[1] Non raro fit ut sub praetextu "zeli domus Dei," contra sapientissimas leges S. Matris Ecclesiae aliqua, praesertim quoad s. liturgiam, introducuntur, quae aliena sunt a mente Ecclesiae, et si petitur ratio huius novitatis, ad privilegia sat antiquata, immo et dubia, refertur.

[2] c. 29. C. 17. q. 4, praesertim inductum est hoc privilegium tempore, quo Arnoldus Brixiensis injuriam Clero intulerat perniciosam statui isti; cf. *Phillips*, l. c. p. 123. § 68.

[3] Eremitae hoc privilegio gaudent, si in communi vivunt, non vero si sibi ipsi habitum imposuerunt; *D'Annibale*, Comment. in "Apost. Sedis," ed. 4, Romae 1894, p. 73; cf. etiam *Santi*, l. III. tit. 1. n. 5. p. 2.

Sedis" II. n. 2). Adverte tamen istos regulares, qui sacris ordinibus non sunt initiati, eo ipso, absque admonitione canonica et sententia judicis declaratoria amittere privilegium canonis (et fori), quoties habitum clericalem et tonsuram non deferant. Ita ex decreto Pii IX. d. 20. Sept. 1860.[1]

2. Gaudent regulares (n. 1 descripti) privilegio *immunitatis personalis*, quod comprehendit privilegium servitiorum et fori:

a) privilegium *servitiorum* illud est, quo religiosi eximuntur ab oneribus personalibus (e.g. gabellis, taxis, etc.) et a servitiis et oneribus civilibus, quae statui clericali minus conveniunt.[2] At legibus contrariis civilis gubernii multoties religiosi (sicut et reliqui clericalis ordinis) prohibentur, quominus isto privilegio fruantur. Hac in re quidem Status nostri Foederati nullum jugum imponunt clericis, praesertim circa militiam. Quoad taxas quidem exempti sunt hac in regione ab illis, qui salariis imponuntur.

b) Privilegium *fori* in eo consistit ut omnes religiosi—exceptis illis qui n. 1. enumerantur: non deferentes habitum clericalem vel religiosum—quoad omnes causas tum litigiosas tum criminales a foro et jurisdictione judicis laici eximantur. Hodie tamen hoc privilegium vix ubique viget [3]—nec in istis Statibus. At privilegium ex non-usu, non est dicendum abolitum.[4] Hic posset

[1] *Acta S. Sedis*, III. pp. 433, 443; IV. p. 394; cf. *Aichner*, p. 236 sq.; *Santi*, l. c. n. 34.

[2] *Aichner*, p. 240.

[3] ibid. p. 243.

[4] cf. Syllab. n. 31; *Denzinger*, Enchirid. n. 1579.

inseri aliquid de immunitate reali monasteriorum. At hac in re potius attendendae sunt leges uniuscuiusque gubernii, immo in America uniuscuiusque status. Quapropter abstinebimus a consideratione de immunitate reali.

3. Gaudent regulares, i.e. proprie loquendo et vi juris regularium communis, solummodo *Ordines formales*, at ex speciali privilegio etiam aliquae Congregationes, e.g. SS. Redemptoris *privilegio exemptionis*, de qua jam initio huius capitis sumus locuti. Remanent tamen aliqua dicenda. Nam ibi tractavimus de exemptione, quatenus praeprimis refert ad potestatem Superiorum regularium; hic vero referimus exemptionem ad regulares (sive qua tales, sive qua privilegiatos [1]) omnes in globo. Sumendo proin exemptionem qua "liberationem a jurisdictione Ordinarii," [2] dicemus de his qui exemptione, quamvis regulares sint, non fruuntur; de his, qui nomine quidem regularium non veniunt, tamen tanquam exempti habentur; et demum de aliquibus casibus, in quibus exemptio non habet locum quoad regulares. Unde:

a) Exemptione *non* gaudent *parvi conventus* in quibus sc. 12 saltem religiosi degere et ex reditibus vel consuetis eleemosynis competenter ali et sustentari nequeunt. Tales nempe, ex decreto Urbani VIII d. 21. Junii 1625 subjecti sunt visitationi, correctioni atque omnimodae jurisdictioni Ordinarii. Animadverte tamen per hanc

[1] cf. *Ball.-Palm.* Opus Theol. Moral. ed. 2. Vol. VII. n. 64. p. 28.

[2] ibid. n. 65.

subjectionem potestati Ordinariorum, parvos conventus non fuisse subtractos a jurisdictione Praelatorum regularium, ceu resolutum fuisse refert Fagnani, Com. in c. 4. De off. ord. (I. 31) n. 41. Hinc datur in negotiis expediendis cumulativa potestas Ordinariis et Praelatis regularibus.[1] *A decreto Urbani excipiuntur:*

α) Monasteria erecta *ante decretum Urbani*, quae sunt in congregationem redacta. In specie haec exceptio obtinet quoad conventus Italiae et Insularum adjacentium ab Innocentio X Const. "Instaurandae" d. d. 15. Oct. 1652 non suppressos. Isti enim, si in ipsis (conventibus) saltem 6 religiosi probatae vitae quorum 4 saltem sint sacerdotes maturae aetatis, non subiciuntur Ordinarii visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni. Ita ex Const. eiusdem Innoc. X "Ut in parvis" d. d. 10. Feb. 1654.[2]

β) Quoad *Italiae* "ecclesias regulares et domos quas tenent religiosi ex quibus saltem 1 sit sacerdos, in ternario numero habitantes." Ita S. Poenitentiaria d. 18. Aprilis 1867.[3]

γ) Exceptio denique obtinet in *regularibus missionariis*, praesertim in Britannia et Statibus Foederatis Americae, in residentiis missionis commorantibus, juxta Const. Leonis XIII "Romanos Pontifices" d. 8. Julii 1881 et ad nostros Status extensam. "Regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione non secus ac regulares intra

[1] *Santi*, l. III. tit. 36. n. 11. p. 357.
[2] ibid. p. 358.
[3] ibid.

claustra viventes, praeterquam in casibus a jure nominatim expressis et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem."[1] Eadem Constitutio tamen nominat tres praesertim casus, quibus isti regulares missionarii Ordinario subjacent: 1° *Collationibus* seu conferentiis, quae debent institui quibusdam vicibus per annum, materiâ tractandâ prius indictâ, interesse tenentur regulares missionum rectores. 2° *Synodis dioecesanis* interesse tenentur, quod juxta Conc. Trid. (sess XXIV. c. 2. de Ref.) Leo XIII iterum inculcavit regularibus missionariis. 3° Quoad *appellationes* ab interpretatione, quam Episcopi ediderint decretorum synodalium, ita statuit Const. cit. Leonina: "Fas est regularibus appellare in devolutivo tantum quoad interpretationem decretorum, quae de jure communi, sive ordinario sive delegato, regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum etiam in suspensivo."

b) Exemptione *quamvis nomine regularium* sive privilegiatorum *non veniunt*, gaudent sequentes personae:

α) *Familiares* qui actu inserviunt locis exemptis, intra eorum septa et domos resident et sub harum domuum Praelatorum obedientia vivunt.[2]

β) *Oblati* sub iisdem conditionibus (ac familiares) constituti, addito ut proprietatem extra monasterium prorsus reliquerint et habitum aliqualiter mutaverint.[3]

[1] cf. Decreta *C. Balt.* III. ed. Murphy 1886, p. 217 et tit. II. c. 9. n. 88.

[2] *Trid. Conc.* sess. XXIV. c. 11. de Ref.

[3] *Bened. XIV*, de Synodo dioeces. l. VI. c. 3. n. 4.

γ) *Alumni*, i.e. adolescentes, qui studiis et exercitiis incumbunt sub regularium disciplina, ea intentione se suo tempore esse ingressuros eandem Religionem, posita insuper conditione, ut "continui sint commensales."[1]—Non vero exempti dicendi sunt: Tertiarii extra monasterium degentes, alumni saeculares, neque hospites et infirmi etiam in loco exempto suscepti, nisi adsit speciale privilegium, quod quoad hospites Barnabitae habent.[2]

c) *Casus*, in quibus regulares aut privilegiati *subditi* sunt *Ordinario*, sive qua tali, sive qua delegato Sedis Apostolicae, et ab aliquibus enumerantur numero 110, ab aliis majore minoreve,[3] possunt ad sequentes reduci, omissis aliquibus minoris momenti.

I[a] *classis* est eorum, in quibus Episcopo, tanquam *Ordinario* subsunt exempti:

1[us] casus: in omnibus, *quae sunt Ordinis Episcopalis*, cuiusmodi sunt petitio chrismatis, consecratio ecclesiarum, susceptio s. ordinum.

2[us] casus: in *observatione festorum* ab Episcopo indicatorum pro dioecesi; sess. XXV. c. 12. de Regg.

3[us] casus: in *observatione censurarum*, v.g. in servando interdicto, et non communicando cum excommunicatis ab Episcopo, et non permittendo suspensum ab Episcopo celebrare s. Missam; sess. XXV. c. 12. de Regg.

[1] Const. *Clem. X*, "Superna," d. 21. Julii 1670.

[2] cf. *Santi*, l. c. p. 360 sq.

[3] *Chokier*, de Jurisdict. Ord. in Exemptos, p. II. 9. 45, habet 110; *Barbosa*, de Officio et Potest. Episcopi, P. III. Allegat., 105. n. 14, ed. Lugd. 1665, Vol. II. p. 481.

4^us^ casus: in *censura librorum;* sc. approbatio ab Episcopo danda est pro libris de rebus sacris tractantibus (et quidem ab Ordinario illius loci, ubi liber imprimitur); sess. IV. de editione ss. libr.

5^us^ casus: quoad *processiones publicas* ad quas cogi possunt ab Ordinario, nisi in clausura stricta vivunt, uti Carthusiani et Eremitae Camaldulenses, vel nisi monasterium nimis longe ($\frac{1}{2}$ mile) distet a loco processionis. Item regulares non possunt instituere processiones publicas absque licentia Ordinarii. Controversias praeterea, quae in processionum, aut funerum deductionibus interdum oriuntur, Episcopi judicio debent relinquere;[1] sess. cit. c. 13. de Regg.

6^us^ casus: in *approbatione* ad saecularium [inter quos et sorores enumerandae sunt] *confessiones audiendas;* sess. XXIII. c. 13. de Ref.; vide supra cap. V. art. II. § 3.

7^us^ casus: in *erectione monasteriorum;* sess. XXV. c. 3. de Regg.; vide supra cap. II. art. II.

8^us^ casus: in *promulgatione indulgentiarum,* quas regulares a Papa impetraverint, quippe sine licentia Episcopi eas non possunt promulgare; sess. XXI. c. 9. de Ref.

9^us^ casus: quoad *praedicationem verbi Dei* in ecclesiis, sess. V. c. 2. de Ref.; cf. supra c. V. art. II. § 1.

10^us^ casus: quoad *executionem ultimarum* voluntatum. Si enim regulares sint executores piarum voluntatum, potest eos Episcopus compellere ad rationes sibi reddendas, et punire, si male rem gesserint; c. unic. Clem.

[1] cf. *Ball.-Palm.* l. c. Vol. VII. p. 30; *Piat.* II. p. 39.

(III. 3). Regulares namque possunt esse executores piar. volunt., dummodo proprii Superioris assensum retulerint.[1] Excipiuntur Fratres Minores S. Francisci de observantia juxta c. 1. Clem. (V. 11). Porro Episcopus potest executores piarum voluntatum compellere ad easdem implendas, licet testator prohibuerit, quominus Episcopus se ingereret in negotio executionis.[2]

11[us] casus: quoad *causas fidei* cognoscendas. Nam Ordinarii loci, ubi S. Universalis Inquisitionis Officium non exercet suam potestatem, sunt judices in causis fidei. Unde omnes causae ad S. Officium proprie spectantes debent referri ad Episcopum. Quapropter recentissime editum est decretum S. Officii d. 15. Maii 1901, approbatum a S. Pontifice d. 17. Maii, quo "sancitum est, in rebus ad S. Officium spectantibus (praesertim quod ad abusum Sacramentalis Confessionio spectat) nullo modo ad Superiores regulares pertinere subditorum suorum causas cognoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato, de his inquirere, denuntiationes recipere, testes interrogare, reos excutere, judicium instituere, sententiam ferre aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel manus imponere; sed . . . (delinquentes vel suspectos) nulla fraterna correptione aut monitione praemissa, S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare." Monet id decretum, ut haec instructio a Superioribus com-

[1] c. 2. 6° (III. 11) et c. unic. Clem. (III. 6).

[2] c. 17. X (III. 26); cf. *Santi*, l. III. tit. 26. n. 73 sq., Vol. III. p. 244 sq.

municetur subditis.[1] Porro non videtur absque re indicare quaenam sint causae, in specie ad S. Officium spectantes; sunt porro:

a) Quae fidem tangunt, i.e. haeresis, schisma, apostasia;

b) Omnia divinationum genera, sive personae, sive libri de his tractantes;

c) Sollicitatio ad turpia in actu vel praetextu Confessionis;

d) Sollicitantes nomen complicis absolutionisque denegationem comminantes, nisi nomen manifestaverint;

e) Qui non sunt sacerdotes, Missam celebrantes vel confessiones audientes;

f) Omnes personae quae exercitium S. Inquisitionis (etiam Episcoporum hac in re procedentium) impediunt, officiales Inquisitionis offendentes et turbantes.[2]

12[us] casus: quoad *visitationem ecclesiarum regularium*, in quibus cura animarum isti exercent. Porro visitatio fit circa altare, ubi SS. Sacramentum asservatur, tabernaculum, fontem baptismalem, confessionale parochi actualis, pulpitum, sacrarium ecclesiae, s. suppellectilem, aquam lustralem, turrim, coemeterium parochianorum (non vero regularium); et etiam circa personam parochi, qua talem, non qua regularem.

[1] *Annal. Eccl.* 1902, Jan. p. 9. Hae causae uti decretum loqui videtur pertinere dicendae sunt ad Ordinarios qua tales, et non delegatos Sedis Apost., quamvis *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 254 aliter censeat; cf. *Barbosa*, l. c. n. 56.

[2] cf. *Santi*, l. I. tit. 31. n. 70 sq. p. 310; *Piat.* II. p. 65 sq.; *Greg. XV* "Inscrutabili" § 4. d. 5. Feb. 1622.

13us casus: quoad *regulares eleemosynas quaeritantes.*[1] Verum hic opus est distinctione: *a*) Si domus erecta fuit regularium, qui ex institutione aut facultate Sedis Apost. eleemosynas quaeritare possunt, non tenentur regulares illius domus ab Ordinario licentiam petere; S. C. E. E. et R. R. d. 6. Oct. 1597; ostendere tamen debent Ordinario licentiam suorum Superiorum; Const. Clem. XI. "Exponi nobis," d. 8. Julii 1717. Si in aliam dioecesim pergunt, consensum illius Ordinarii obtinere debent; S. C. E. E. et R. R. d. 11. Martii 1892. *b*) Quando autem regulares (vel qualescunque religiosi), qui hoc jure nec vi Constitutionis propriae nec Apostolicae concessionis gaudent, eleemosynas quaerere intendunt semper obtinere debent veniam Apost. Sedis et licentiam Ordinarii.[2]

14us casus: quoad *renuntiationes bonorum* ante professionem solemnem, de quo jam in II cap. actum est; item quoad reclamantes ob nullitatem professionis, de quo etiam dictum est c. II.[3]

IIa *classis casuum* est, in quibus *Episcopo tanquam Sedis Apostolicae delegato* sunt subjecti regulares, inter quos Schmalzgrueber enumerat:

1us casus: quoad *lectionem S. Scripturae;* Trid. sess. V. c. 1. de Ref.

2us casus: quoad *monialium clausuram,* ad quam observandam moniales quamvis exemptas Episcopus cogere potest; sess. XXV. c. 5. de Regg.

[1] *Barbosa,* l. c. n. 51.

[2] *Santi,* l. III. tit. 36. n. 15. Quoad sorores, vide p. 389.

[3] cf. *Barbosa,* l. c. n. 46. n. 48.

3us casus: quoad *monasteria monialium* Sedi Apost. subjecta, quae Episcopi gaudent potestate gubernandi quoad spiritualia sess. XXV. c. 9. de Regg.

4us casus: quoad *Abbatissae electionem,* cui Episcopus cum Superioribus regularibus sive per se sive per alium praesidere potest; ex Const. Greg. XV "Inscrutabili" d. 5. Feb. 1622; cf. supra, ubi de electione. Addit haec Const. quoad Episcopum: "absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa."[1] Si regulares procedunt ad abbatissae electionem, postquam Episcopus declaraverit se velle uti facultate praesidendi electioni,—procedunt dico, ad electionem vel ante tempus Episcopo significatum aut die electionis eidem non praenuntiata, Episcopus potest in tales regulares animadvertere, i.e. eos punire etiam per censuras; S. C. C.[2]

5us casus: quoad *delinquentes regulares* extra monasterium—i.e. non viventes sub Superiore conventualite[3] —degentes, qui possunt ab Episcopo tanquam Sedis Apost. delegato puniri et corrigi; sess. VI. c. 3. de Ref. Hoc valet etiam de regulari colloquente cum moniali (claustrali, seu stricti nominis, moniali) ad crates sine licentia legitima. S. C. C.[4]

6us casus: quoad Abbates qui non observant decretum Alexandri VII de agendis Pontificalibus tribus dumtaxat vicibus per annum, etc.; contra quos Episcopus

[1] cf. *Th. Decreta,* Richter et Schulte, ed. Neapol. 1859, p. 543 sq., ubi quaestiones maxime spectantes ad istos casus a S. C. C. solutae inveniuntur appensae.

[2] ibid. p. 546.

[3] cf. *Barbosa,* l. c. n. 16.

[4] cf. *Decreta* cit. p. 546; cf. *Schmalzgr.* l. V. tit. 33. n. 254.

procedere potest etiam per censuras.[1]—Hi ferme sunt casus, maioris saltem momenti, in quibus exempti quoque subjacent Episcopis, sive quatenus Ordinario, sive quatenus Apost. Sedis delegato. Differentia quoad utrumque est imprimis metienda ex appellatione. Nam si Episcopus procedit tanquam *Ordinarius* contra regulares, prima instantia *appellationis* erit Metropolita, secunda S. Sedes; si vero tanquam *Sedis Apost. delegatus* procedit, non est nisi unica instantia, eaque S. Sedes ipsa.

5. Aliud privilegium, quod tamen potius est privativum, versatur circa *funera*, circa quod advertenda sunt sequentia:

a) *Religiosi* (i.e. regulares proprii nominis), qui moriuntur *extra monasterium* vel in loco, unde corpus commode potest asportari, in coemeterio monasterii sui sepeliendi sunt; nequeunt ergo sibi sepulturam eligere.[2] Si corpus non potest facile deferri ad monasterii coemeterium, debet tumulari in ecclesia parochiali loci, ubi religiosus decesserit e vita; nisi ibi adsit monasterium sui Ordinis. Valet hoc et de monialibus.

b) *Novitii* (resp. novitiae) possunt tumulari in monasterii coemeterio, nisi sepulturam sibi elegerint. Item famuli, non vero familiares monialium. Familiares enim monialium sunt, nisi sepulturam elegerint,

[1] Decr. d. 27. Sept. 1659, in fine; S. R. C. d. 5. Julii 1698; cf. *Decreta Auth.* S. R. C. I. n. 2000.

[2] c. 5. 6° (III. 12) "Commode deferri" videtur implicare non solum distantiam (20 imilliariorum), verum etiam sumptus expendendos, qui metiendi sunt ex opulentia monasterii.

sepeliendi in parochiali (sc. ubi decesserint) coemeterio; S. C. C. d. 14. Aprilis 1685.

c) *Alumni* (studiorum dumtaxat causa) in coemeterio parochiali sepeliri debent, nisi regulares speciali hac de re obtinuerint privilegium.[1]

d) *Hospites* et advenae saeculares in coemeterio parochiali, sc. in illa parochia, ubi domicilium habuerint, sepeliri debent, nisi sepulturam electivam obtinuerint; S. C. C. d. 5. Feb. 1650.

e) Jus funeris in ecclesiis *monasteriorum a gubernio suppressorum*, et conversis in ecclesias saeculares retinetur in istis ecclesiis conversis ad usus saecularium, ita ut regulares possint ibi funera suorum religiosorum absque interventu parochi et "quarta funeris" illi solvenda peragere.[2] Hoc valet et in casu, quo regulares expulsi fuerint e monasterio paucis tantum relictis

[1] cf. *Piat.* II. p. 309 sqq.

[2] cf. *Santi*, l. III. tit. 28. n. 34 sqq. p. 263 sqq. Vocatur vero "*quarta funeris*" illa pars quae occasione funeris lucrata est alia ecclesia, in qua fidelis sepelitur. Computatur autem quarta funerum solum de illis rebus, quae ratione funeris solent asportari in ecclesiam. Tales sunt candelae, intorticia, vestes et ornamenta, quibus decoratur feretrum defuncti. Non praestatur quarta de eleemosynis missarum vel relictis piis donis ad onera missarum persolvenda. Ita in specie statutum est pro ecclesiis regularium in Const. Bened. XIII an. 1725; *Santi*, l. III. tit. 28. n. 8. Aliter loquitur *Smith*, Comp. Juris can. ed. 4, n. 790, qui definit ipsam "portionem canonicam omnium emolumentorum quae occasione funeris ab ecclesia tumulante percipiuntur," ergo etiam a fructibus stolae, uti dicit in nota (a share in all the funeral dues). Quod utique magis congruum est notioni modernae juris circa emolumenta funerum, at non antiquae.

religiosis. Quodsi agitur de delatione cadaveris regularis defuncti ad publicum coemeterium, eo quod in coemeterio regularium ob leges civiles adversas sepeliri nequeat, regulares tunc possunt cum stola et cruce elata conventus et sine parochi interventu cadaver deferre ad coemeterium, modo id fiat sine pompa solemni et defunctus recto tramite illuc asportatur. Ita S. C. C. d. 24. Jan. 1846.[1] Porro circa tumulationem praesertim saecularium in ecclesiis regularium, non est cur immoremur, quippe cum hac in re consuetudini vel statutis civilibus sit standum et leges civiles plerumque traditiones antiquas everterint.

6. Privilegio, ex jure delegato et ex speciali concessione, Superiores regulares concedere possunt *suis subditis indulgentias*.[2]

7. Aliud privilegium habent regulares circa *S. Missae celebrationem*. Nam ut Layman dicit, possunt regulares hora ante auroram celebrare Missam.[3] Immo ex privilegio Alexandri VI concesso Benedictinis Montis Serrati et a Clem. VIII ad totum Ordinem S. Ben. extenso, possent ex justa causa, secunda hora post mediam noctem quovis anni tempore celebrare Missam. Attamen aliqui dicunt tale privilegium censendum esse revocatum a Conc. Trid. (sess. XXII de observandis et evitandis in celebratione Missae),[4] dum alii, e.g. Ballerini-Palmieri sustinent tale privilegium in favorem regularium,

[1] cf. *Santi*, l. c. n. 32. p. 261.

[2] *Ferraris*, "Praelatus regularis," n. 49.

[3] de Sacrificio Missae, c. IV. n. 3; cf. *Lehmk.* II. n. 218 et n. 655. 1.

[4] *Lehmk.* l. c.

ac in specie, pro Benedictinis. Aiunt nempe quoad decretum Trid.: "etsi verba non 'obstantibus privilegiis, etc.,' spectarent ad rem nostram, attamen 1° probandum foret, agi de celebratione facta ob superstitionem [decretum enim ait: ne superstitionis locus aliquis detur, etc.], 2° expectandum est edictum Ordinarii cum poenis propositis."[1] Ergo istud privilegium cum iisdem cl. auctoribus putamus adhuc sustineri posse.[2]

8. Quoad *officium divinum* privilegium concessit *a*) Clemens VII Const. "Dudum" d. 7. Martii 1533 Theatinis regularibus qui occupati sunt praedicatione, studio s. theologiae; item infirmis et infirmariis loco officii recitandi aliquos (non minus septem vel sex) psalmos per Superiores assignandos cum Oratione Dominica septies et Symbolo Apostolico bis recitandis. Graviter aegrotantes Orationem Dominicam et Salutationem angelicam septies in die recitando toti officio satisfecisse censentur. Isto privilegio omnes regulares frui dicit S. Alphonsus.[3]

b) Innocentius IV concessit *monialibus* (et ita intelligitur pro omnibus aliis communicantibus) ut satisfacere possint recitando officium conversarum ob quamcunque rationabilem causam, v.g. si religiosa non sit bene instructa in officio choristarum, aut sit scrupulosa aut occupata rebus utilibus, etc.[4]

[1] Opus Theol. Moral. Vol. IV. p. 768. n. 294.

[2] Decr. *Clem. XI* d. 15. Dec. 1703 non facit ad rem; *Ball.-Palm.* ibid.

[3] cf. *Putzer*, Comment. n. 168. p. 292; *S. Alph.* de Privil. n. 107.

[4] cf. *S. Alph.* ibid.

9. Privilegia regularium *circa absolutionem* a censuris et dispensationem ab irregularitatibus:

a) Regulares in certa dioecesi approbati (facultatibus ab Ordinario instructi) possunt poenitentes in eam ex alia dioecesi confluentes absolvere a casibus reservatis in hac, a qua discesserunt; dummodo non discesserint in fraudem legis.[1]

b) Quamvis per Const. "Apostolicae Sedis" derogatum sit privilegio regularium absolvendi a casibus, sive speciali modo sive simpliciter reservatis, tamen derogatum non est facultati absolvendi a casibus pontificiis Episcopo reservatis, qui sunt tales ipso jure, et non evadant, sive ob impedimentum sive ob crimen occultum, episcopales.[2] Nam, uti supra dictum est, regulares non possunt absolvere saeculares a casibus, quos Episcopus sibi ipsi reservavit.

c) Regulares confessarii (ab Episcopo approbati) possunt poenitentes saeculares, in foro conscientiae, dispensare super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, dummodo contractae non sint ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum vel bigamia.[3]

d) Mendicantes habent potestatem dispensandi in juramentis et votis—excipe vota reservata,[4]—item

[1] *Ball.-Palm.* Vol. IV. p. 167. n. 279.

[2] ibid. p. 169. n. 281 sq.; *Lehmk.* II. n. 654.

[3] id. Vol. VII. p. 341. n. 626. Intellige bigamiam similitudinariam.

[4] *Vota reservata* sunt: *a*) religionis formalis ingrediendae; *b*) perpetuae castitatis; *c*) peregrinationis ad sepulchrum

in voto castitatis conjugum, etiam ante matrimonium emissum, in ordine ad petendum debitum. Dispensare etiam possunt in impedimento petendi debitum conjugale ex crimine incestus exorto; modo hanc licentiam dederit Superior, sive Provincialis, sive localis.[1]

10. Gaudent privilegio, ut *non* debeant *solvere decimas*, i.e. illam partem decimam omnium fructuum, quam ministris spiritualia ministrantibus fideles solvere debent quotannis. Ab his ergo solvendis tum realibus tum personalibus eximuntur regulares, nisi habeant fundus decimales, tales sc. fundus, ex quibus olim decimae solvebantur et qui proin ad regulares cum tali onere pervenerunt. At vero ex his decimis talium fundorum eximi possunt, si speciali hac de re gaudent privilegio.[2] Occasione arrepta aliquid dicendum est de cathedratico, exactionibus et procurationibus Ordinario debitis; nam hoc non videtur esse superfluum. Sit ergo:

a) Quoad *cathedraticum*, quod definitur "pensio certa singulis annis solvi solita Episcopo in signum subjectionis et in honorem cathedrae Episcopalis."[3] "Solvitur vero," ait *Santi*, "ab omnibus ecclesiis vel beneficiis vel capellis saecularibus, immo a parochiis, beneficiis et capellis regularium, quamvis iisdem praesint regulares, c. 16. de officio Jud. Ord. (I. 31)." "Non solvitur

Domini; *d*) ad limina SS. Petri et Pauli, Romae; *e*) ad S. Jacobum maj. Compostellae; cf. *Lehmk.* I. n. 469 et n. 477.

[1] cf. *S. Alph.* de Privil. n. 108 sq.

[2] *Santi*, l. III. tit. 30. n.n. 1, 6, 18.

[3] id. tit. 39. n. 6, Vol. III. p. 414.

autem a monasteriis vel ecclesiis regularium, in quibus ipsi regulares sacra peragunt; eximuntur enim a jurisdictione Episcopi et a lege dioecesana c. 1. X (III. 35)."[1] *De Angelis* haec habet: "Deberi illud [cathed.] deinde probat [sc. Fagnani ad c. 16. de officio Judicis Ord. I. 31. n. 48] ab omnibus ecclesiis Episcopo subjectis, etsi monasteriis exemptis pleno jure unitae sint."[2] Ex his non immerito concluderes, ecclesias monasteriis contiguas, in quibus regulares sacra peragunt, quamvis cura animarum ibi simul exerceatur, esse exemptas a solvendo cathedratico. Nam tales ecclesiae, quamvis Episcopo sint subjectae quoad animarum curam, non tamen possunt dici Episcopo simpliciter subjectae. Haec porro valent de parochiis stricti nominis, monasteriis pleno jure unitis. At *hac in nostra regione* aliquid peculiare obtinet. Nam 1° sustinetur hic non esse canonicas parochias, et 2° cathedraticum apud nos magis habere naturam sustentationis congruae praestandae Episcopo.[3] Unde demum concluditur cathedraticum debere solvi a regularibus illis, quibus cura animarum est commissa,[4] nulla distinctione facta inter ecclesias, in quibus regulares sacra peragunt, i.e. monasteriis contiguas et non contiguas. Supposito, praemissas fundamento solido niti, conclusio potest sustineri —et de facto in praxim deducitur.[5]

[1] *Santi*, tit. 39, n. 6, Vol. III. p. 14.

[2] l. III. tit. 39. n. 2, ed. Romae 1879. tom II. P. II. p. 262.

[3] cf. *Smith*, Elements, ed. 8, Vol. I. n. 609, p. 361; eiusd. Compendium, n. 636.

[4] ibid.

[5] Quoad hanc controversiam cf. *Putzer*, Comment. ed. 1898,

b) Quoad *exactiones:* inter quas praecipue enumeratur subsidium charitativum, quod definitur: "exactio extraordinaria, et moderata ob manifestam et rationabilem causam cum charitate a subditis expostulata." "Solvitur ab omnibus ecclesiis et beneficiis saecularibus, a beneficiatis etiam regularibus non exemptis."[1] Ergo exempti sunt liberi, si tamen beneficium Episcopo subjectum non habent, quod in nostra regione vix obtineret.

c) Quoad *procurationes* occasione visitationis praestandas Episcopo eiusque comitatui, dicendum est eas debere solvi ab omnibus beneficiis, oratoriis publicis et monasteriis, quae non sunt exempta a jurisdictione Episcopi.[2]

11. Regulares habent privilegium eligendi *Judicem Conservatorem,* qui judicet de omnibus illis causis, in quibus religiosi sunt rei, et etiam actores; sed quando sunt actores, solum propter injurias et manifestas violentias regularibus illatas.[3] Conservatores debent dignitate esse praediti vel saltem personatum obtinentes ac praeterea esse de judicibus synodalibus, non vero Superiores temporanei aliorum Ordinum.[4] Tamen practice loquendo isti judices nunc abrogati dicendi sunt.[5]

p. 172. n. 113. Hic non possumus afferre particularia; excederet naturam compendii.

[1] *Santi,* l. III. tit. 39. n. 8; *Smith,* Compend. n. 639.

[2] c. 16. X (I. 31); c. 23. X (III. 39); *Santi,* l. c. n. 14; *Smith,* l. c. n. 637; Conc. *Balt.* III. n. 18.

[3] *S. Alph.* de Privil. n. 90.

[4] *Ball.-Palm.* Vol. IV. p. 171. n. 288.

[5] Praesertim post Const. Clementis XIII "Cum omnium"

12. Demum regulares habent *Protectorem* assignatum a Summo Pontifice pro toto Ordine. Protectores non sunt judices; non possunt statuta Ordinis mutare neque ullum Superiorem aut officialem instituere, nullum possunt religiosum transferre ad aliud monasterium aut punire. Sumuntur ex Cardinalium collegio, ut sint praesidio toti Ordini.[1]—Haec fere sunt privilegia maioris momenti regularibus competentia; pro reliquis refertur lector ad tractatum S. Alphonsi "de Privilegiis," ubi redacta inveniuntur, quae scitu sunt digna circa regularium privilegia.

Postquam nunc vidimus statum religiosum fundatum in sua interna et externa relatione, quam tenet in S. Ecclesia, remanet ut aliquid subjungamus de eiusdem vicissitudine, quam subire potest in concreto, tum quoad Ordines tum quoad singula membra. Nam quamvis status religiosus, quatenus dicit statum importet stabilitatem, tamen Ordines ipsi et praesertim membra possunt mutari, imo ex illo statu decidere, siquidem neque Ordines neque membra indefectibilitatis dono gaudent. Infestus utique temporum et gubernorum spiritus, quem vel nostris diebus videmus praevalere, multoties mutationem secum fert et statum religiosum, heu nimis infelici vicissitudine, percutere est aptus. Unde tractandum est: de egressu e Religione et mutatione eiusdem.

d. 23. Aprilis 1762; cf. *Wernz*, Jus Decretalium, Vol. II. n. 562 et n. 709; Vol. III. n. 699; *Santi*, l. I. tit. 29. n. 43.

[1] *Craisson*, n. 2955 sq.

CAPUT VI.

DE EGRESSU E RELIGIONE ET MUTATIONE RELIGIONIS.

Religiosus professus multiplici ratione e religione sua egredi potest: voluntarie vel involuntarie, cum sua culpa vel citra culpam, denique aut omni religionis vinculo solutus aut obstrictus adhuc permanens.[1] Praesertim agendum est de legitimo et illegitimo egressu. Unde duplex caput.

Articulus I.

De legitimo egressu.

Legitimus egressus potest fieri vel dispensatione vel mutatione vel suppressione per auctoritatem competentem.

§ 1. *De dispensatione.*

Ista dispensatio potest respicere vel vota ipsa vel statum dumtaxat.

1. Dispensatio quae respicit vota est vel a votis simplicibus vel solemnibus.

a) Quoad *vota simplicia* non est difficultas, quod S. Pontifex possit dispensare ab ipsis. Istorum dispensatio reservatur Summo Pontifici quoad Ordines,

[1] *Aichner*, p. 479.

in quibus vota simplicia praecedunt vota solemnia. Ita S. C. super statu Regularium d. 12. Junii 1858:[1] "Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex capite Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant."[2] Igitur etiam Ordo potest solvere vota simplicia (saltem facultate ipsi a S. Pontifice data). At conditiones quaedam impleantur oportet:

α) *Requiritur "justa et rationabilis causa."*[3] Causa talis non est infirmitas "post professionem votorum simplicium superventa."[4] Nec est causa sufficiens assertio religiosi, quod non habeat vel amiserit vocationem ad vitam religiosam; ex decisione S. C. E. E. et R. R. d. 19. Nov. 1886.[5] Nec est causa sufficiens cur dimittatur simpliciter professus "rejectio ipsius a maiori parte Patrum in Concilio vel totius conventus

[1] *Bizzarri*, Collect. p. 856. n. II.

[2] ibid. n. III. Hoc non valet de *monialibus*, quae juxta novissimum S. C. E. E. et R. R. decretum d. 3. Maii 1902 (cf. *Analecta Ecclesiastica*, 1902, Maii, p. 204 sq.) debent etiam emittere triennalia vota simplicia, exparte voventis quidem perpetua, ante solemnium nuncupationem. Nam in decr. isto (n. XII.) dicitur: "Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas, recurrendum erit, in singulis casibus, ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur." Hoc in textu dicendum esset, at dicta anal. ad nos pervenerunt, quando manuscriptum jam completum erat. Decretum vide in appendice.

[3] *Bizz.* collect. l. c. n. V.

[4] ibid.

[5] *Annal. O. Min.* VIII. 49; cf. *Piat.* I. p. 208.

in capitulo per suffragia secreta prolata ab Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione." Ita S. C. super Statu Regularium d. 7. Feb. 1862 a Pio IX confirmata decisio.[1] Istae sunt causae rejectae ab auctoritate competenti.

At hic non inutiliter quis quaerat quid *de infirmitate jam existente ante professionem,* quam infirmitatem Superior putat posse curari et propterea admisit novitium ad professionem simplicem absque conditione, quae tamen infirmitas tantum abest ut curetur ut in peius evolvatur? Estne ista infirmitas ratio sufficiens ut stante tempore votorum simplicium professus dimittatur? Aliud caritas suadet, aliud strictum jus. Unde juxta hoc ultimum putamus posse tali infirmitate afflictum dimitti, saltem si medici judicio incurabilis declaretur et talis, qualis impediat ipsum ab oneribus et obligationibus satisfaciendo. Ratio est: quia ex una parte decretum cit. permittit dimissionem ex rationabili causa, quam putamus adesse, et ex altera parte solummodo et unice infirmitas superventa post professionem expresse nominatur tanquam insufficiens dimittendi. Unde juxta regulas interpretationis putamus dimissionem talis validam esse et licitam.

Si quis religiosus proin inaptus videatur, ex rationabili causa (quae non est ex rejectis) dimitti poterit ex Ordine; at quomodo procedendum est?

β) Certa forma vel processus in dimissione juxta decretum Pii IX d. d. 12. Junii 1858 *non requiritur.*[2]

[1] cf. *Bizz.* 861 ad 2m

[2] *Bizz.* 856. n. V.

Ast quid de decreto "Auctis admodum" (§ III) Leonis XIII jussu d. 4. Nov. 1892 a S. C. E. E. et R. R. editum? Derogavitne istud decreto Pii IX citato? Cl. *Piatus M.* putat non esse derogatum decreto Pii IX, saltem si rite illum intelligo.[1] Cl. Nervegna vero "Advocatus curiae Romanae" asserere videtur "Auctis admodum" n. III non solum valere pro Institutis votorum simplicium, verum etiam pro Ordinibus cum votis solemnibus, quoad hoc punctum de processu: Nam dicit: "Hisce consideratis, facillime S. Congregationis intelligitur ratio, qua voluit, ut omnia Instituta, in dimissione Profitentium votorum simplicium, novo uterentur jure, cuius dispensationem, iteratis precibus, omnimodo concedere renuit."[2] Ex quibus profecto sequeretur: $\alpha\alpha$) ut dimissio non posset fieri "nisi ob culpam gravem, externam et publicam et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis;"[3] ut $\beta\beta$) per processum formalem procedere debeant Superiores, praemissa trina admonitione et correctione, distinctis temporibus;[4] $\gamma\gamma$) quoties ex gravibus causis processus formalis haberi nequeat, recursus instituatur ad S. C. E. E. et R. R.[5] Ast estne tam verum, quod "Auctis admodum" hac in re derogavit declarationibus S. C. super Statu Regularium d. 12. Junii 1858 editis jussu Pii IX? Salva reverentia huius auctoris [cuius assertionem libentius accepissemus, si ipsam aliqua decisione S.

[1] De Jure Reg. I. 208. q. 3. n. 3.
[2] *De Jure practico Regularium*, Romae 1900, p. 155.
[3] "Auctis admodum," n. III.
[4] ibid.
[5] ibid.

Congregationis sive E. E. et R. R., sive "Super Statu Regularium," qua Ordinibus formalibus cum votis simplicibus per tres annos ante solemnia emissis jus dimissionis ex causa gravi denegatum fuerit, fulsisset], putamus, salvo judicio meliori, potius subscribendum esse sententiae a cl. Piato Montensi defensae. Ratio est ista: 1° Mens illustris Legislatoris "Auctis admodum" videtur esse ut provideat decori illorum, qui in s. ordinibus sunt constituti, ne facile dimittantur quin Episcopum benevolum invenerint. Omnia videntur concentrare, ut ita dicam, ad ordinationem alumnorum. Porro de alumnis in s. ordinibus constitutis patet, Ordinem eos non posse dimittere absque processu formali, cum vota solemnia jam emiserint. 2° Certum videtur quod S. Congregatio has declarationes non ignoravit, proin expresse illas revocasse putanda foret, cum directe opponantur, quoad hanc rem, ultimae dispositioni ipsius. 3. Mirum videtur S. Congregationem approbare Constitutiones etiam post editum decretum "Auctis admodum" in quibus asseritur jus dimissionis simpliciter professi a parte Ordinis.[1] Istae sunt rationes, quae nos movent ad contradicendum cl. Nervegna sententiae.

γ) Dimissio debet fieri a *legitima auctoritate.* Ista est "Magister Generalis (de Dominicanis loquuntur declarationes) cum suo generali concilio."[2] Idem dicen-

[1] Ita *Const. Helveto-Americanae* Congregationis approbatae d. 9. Feb. 1901, ad c. 62 S. Regulae S. P. Benedicti; ita etiam Const. Cisterciensium Reformatorum approbatae 1894.

[2] Decl. IV cit.; *Bizz.* l. c. p. 856.

dum est de congregationis alicuius Ordinis formalis Praeside cum suo consilio. "Idem Magister Generalis cum suo generali concilio poterit in casibus extraordinariis et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent."[1] Procedant vero "cum summa caritate et prudentia, quacunque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat."[2] Non dicitur dimissionem esse invalidam, si non ex justis causis et modo descripto dimissio facta est. Unde illicita quidem, ast non invalida habenda foret, et dimissus vinculo omni obligationis solutus maneret. Quoad *monialium* dimissionem requiritur ut accedat Ordinarii et Sedis Apost. approbatio.[3]

b) Quoad *vota solemnia.* Sententia communis docet *posse S. Pontificem* dispensare cum regularibus super votis eorum solemniter in professione emissis.[4] Plura facta historica hoc probant.[5] Consideratur vero tanquam causa maior, quae soli R. Pontifici reservata est.

2. *Ad legitimum egressum* debet etiam revocari *evectio ad Episcopatum.* Ast obligatio servandi vota ipsi remanet ex integro (quoad paupertatem in quantum conditio dignitatis hoc sinit, cf. quae jam diximus), unde

[1] Decl. IV cit.; *Bizz.* l. c. p. 856.

[2] ibid. n. V.

[3] cf. noviss. Decret. in *Anal. Eccl.* Maii 1902, p. 204 et "Appendix," ubi istud decretum habetur. Unde corrige textum juxta superius in nota dictum.

[4] *Craisson,* n. 3064.

[5] ibid.; *Piat.* I. p. 172 sq.

non tam egressus ex Religione, quam e monasterio, soluto vinculo stabilitatis loci vel congregationis, dicendus est.

3. Praesertim hic agendum est de *saecularisatione.*

a) Saecularisatio hic intelligitur de regularium personis, non vero monasteriis vel proprietatibus. Est vero "Actus rediendi inter saeculares habitu Ordinis dimisso sub certis conditionibus et a legitima auctoritate approbatus." Est vel *ad tempus* vel *ad perpetuum.* Inter species prioris recensentur: ad annum, ad biennium, etc., durante infirmitate oratoris, durante munere, durante necessitate parentum, ad nutum S. Sedis.[1]

Saecularisatio perpetua est illa, quae a Romano Pontifice conceditur, ut quis ex Instituto religioso ad saeculum redeat. Fundamentum perpetuae saecularisationis est illa "ad annum et interim," i.e. interim patrimonium sibi constituant et Episcopum benevolum inveniant. Isti saecularisati pertinent ad Ordines votorum solemnium.

b) *Conditiones saecularisationis* sunt:

α) Quoad *Sacerdotes solemniter professos:*

1° Ut constet sibi de patrimonio vel de alia sufficiente provisa sustentatione (e.g. titulo missionis, vel Missarum stipendiorum);[2]

2° ut habitu regulari demisso, religiosi habitus signum intrinsecus deferat;

3° ut substantialia votorum, quatenus fieri potest,

[1] *Nervegna,* l. c. p. 164.

[2] Ita in indulto Epo. Tornacensi dato, cf. *Piat.* I. p. 175. Nota 4.

observet (de paupertate jam supra diximus, ubi de obligatione regularium ratione paupertatis c. IV);

4° ut subsit, in vim quoque solemnis obedientiae voti, Ordinario loci, qui in tales saecularisatos habet etiam potestatem auctoritativam et dominativam.[1]

β) Quoad *simpliciter*, sed perpetuo professos *sacerdotes*, eodem modo loquendum ac sub *b*. *α*); ast isti non possunt relinquere claustrum, antequam Episcopum benevolum invenerint, et patrimonium sive aliam provisionem congruam (assertio Episcopi de sufficiente provisione sufficit)[2] invenerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum ordinum." [3]

γ) Idem dicendum est de *Diaconis et Subdiaconis*, quia ad eos in s. ordinibus constitutos pertinent.

Si tamen isti sint simpliciter professi ac patrimonium et Episcopum benevolum receptorem exhibeant, super votis simplicibus paupertatis et obedientiae cum illis dispensatur.[4]

δ) Quod *Religiosum laicum solemniter professum:*

1° Ordinarius originis—indulto obtento a S. Sede—licentiam concedit manendi extra Claustra quoad vixerit;

2° habitu regulari dimisso, et solum retento signo istius habitus intrinsecus;

3° firmo manente voto castitatis, alia votorum substantialia, quatenus fieri poterit, observet;

[1] *Nervegna*, p. 177.
[2] idem. p. 178.
[3] "Auctis admodum," n. V.
[4] *Nervegna*, p. 179.

4° Ordinario loci, ubi commorabitur, hoc indultum exhibeat eique subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti;

5° absque ullo eius Ordinis onere, si Ordo sit inter possidentes, i.e. sine ulla annua pensione a monasterio petenda, quod aliquando faciebant.[1] Quoad hoc ultimum monasterium videat, quomodo gubernium civile se habeat ad remunerationem vel pensionem. Unde plerumque in statutis separatis (By-laws) ante professionem subscribendis et legislationis civilis auctoritate sancitis providetur, ne quid praestare tenetur monasterium saecularisatis.

c) *Effectus saecularisationis.*

α) *Saecularisatus ad tempus* non separatur a familia religiosa, ad quam actualiter olim pertinuit; at saecularisatus *in perpetuum* cessat esse membrum istius familiae. Consequens est, quod prior potest redire ad monasterium absque indulto Apostolico et Ordo illum recipere tenetur;[2] posterior vero indiget indulto Apostolico et consensu Ordinis vel familiae religiosae. Si redierit "saecularisatus ad tempus" non debet repetere novitiatum,[3] neve amittit jus anterioritatis seu praecedentiae, quod illi juxta tempus professionis competit. Ast perpetuo saecularisatus, si vult redire "anterioritatem a die reditus in Religionem" sequetur,[4] novitiatum vero vel professionem non repetet.

[1] *Nervegna*, p. 179.

[2] S. E. E. et R. R. d. 22. Jan. 1839; 5. Junii 1840 etc.; cf. *Piat.* I. 174, nota 7.

[3] S. E. E. et R. R. d. 30. Jan. 1824; *Nervegna*, p. 183.

[4] Ita C. E. E. et R. R. 30. Aprilis 1838; *Bizz.* p. 436.

β) "Religiosi *perpetuo saecularisati* cum *simplici rescripto saecularisationis* perpetuae non habent auctoritatem accipiendi ac retinendi beneficia ecclesiastica, sive residentialia vel etiam cum animarum cura, sine Apost. Sedis habilitatione; et institutiones talium Religiosorum tanquam parochorum vel canonicorum sunt invalidae, quamvis fuerint bona fide peractae, neque sunt ex-religiosi legitimi beneficiorum possessores. Recurrant, si institutio jam facta sit, ad S. Sedem pro sanatione, revalidatione, habilitatione et facultate." Ita S. C. E. E. et R. R. d. 31. Januarii 1899.[1]

γ) *Religiosi perpetuo saecularisati* et *rescripto S. Sedis pro beneficiis* obtinendis muniti possunt suos facere fructus beneficii, ast pro sui congrua sustentatione tantum. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 21. Febr. 1899.[2]

δ) "Jus succedendi haereditati Regularis professi (saecularisati) qui Apostolicum indultum obtinuit acquirendi bona, haereditates et legata et de iisdem acquisitis disponendi et signanter si dispositio fuerit ad causas pias et favore Religionis competit illi, cuius favore facta est dispositio." Ita S. C. E. E. et R. R. jussu Pii VIII die 26. Junii 1829.[3] Omnia ergo quaecunque obtinet Religiosus ex beneficiis, legatis, et haereditatibus disponere debet ad normam stabilitam a S. Sede, indultis necessariis, quae in simplici rescripto saecularisationis non continentur, prius obtentis, dempta

[1] *Nervegna*, p. 183 sq.

[2] id. p. 185 sq.

[3] id. p. 189 sq.; cf. supra c. IV, ubi de obligationibus religiosorum.

utique ex beneficio ecclesiastico, sustentatione congrua,—at non superflua, quia talis esset contra votum paupertatis, cui obstrictus remanet.

§ 2. *De mutatione sive transitu ad aliam Religionem.*

1. *Benedictus XIV* Const. "Pastor bonus" d. 13. Aprilis 1744 haec statuit pro Majori Poenitentiario: "Quoad transitum de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem,[1] verum etiam ad aequalem et ab arctiori ad laxiorem; ob justas tamen et graves respective causas, ab eodem Majori Poenitentiario probandas, audito prius Superiore Ordinis a quo et cum consensu Superioris, ad quem faciendus est transitus." Pro *Monialibus:* "concedere potest transitum monialibus, tantum ultra montes existentibus, legitima causa concurrente in signatura discutienda et approbanda, committendo tamen facultatem huiusmodi transitus admittendi et exequendi arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate."

2. *Causae justae* transitus sunt: zelus Religionis perfectioris, infirmitas vel debilitas Religiosi, quibus impeditur, ne arctiora Religionis exequatur—haec ex parte religiosi; si qua Religio a debita perfectione declinat.[2] Quoad istarum causarum meritum vel demeritum non est cur longum immoremur, cum decisio practice detur a variis Congregationibus, sivi Concilii,

[1] c. 5. X (III. 31).

[2] *S. Thomae,* Summae 2-2, q. 189. a. 8.

sive E. E. et R. R., sive a Poenitentiaria.[1] Si habet causam aperte justam religiosus ingrediendi arctiorem Religionem, Superior eius (religiosi) ne obstet tali voluntati; quodsi obstet nulla causa prolata, religiosus potest recto tramite ad arctiorem transire.[2] Ast *quaenam Religio arctior* censenda est? Maior austeritas Religionis, prout ad propositum deservit, non debet desumi tantum ex institutione primae Regulae, sed etiam Constitutionibus in tempore adjectis et vel maxime ex observantia earundem praesenti.[3] Huic considerationi si addis, quae Canonistae dicunt esse magis conformia juri, sc. per strictiorem intelligi duriorem et asperiorem (e.g. in jejuniis et abstinentia, in labore, vigiliis) non vero absolute perfectiorem,[4] normam sat securam—certe nostris temporibus—habebis de arctiore Religione; Carthusianorum strictior omnibus habetur.

3. *Conditiones sunt: a)* ut fiat—generatim loquendo—ad *Ordinem strictiorem.* "Verum abstineat," sc. Poenitentiarius maior, "ab huiusmodi transitu concedendo ad alias Religiones seu Ordines, praeterquam ad illas seu illos, in quibus claustralis et regularis observantia vigere dignoscatur."[5] Quod valet de Poenitentiario maiore, uti jam supra diximus, est etiam norma SS. Congregationum;

[1] *Craisson,* n. 3101; *Piat.* I. p. 180.
[2] *Piat.* I. p. 179.
[3] *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 225.
[4] *Reiffenst.* l. III. tit. 31. n. 263.
[5] Const. *Bened. XIV* "Pastor bonus" cit.

b) ut *non fiat temere* et leviter, v.g. ex ira, odio, contemptu vel alia inordinata passione animi; sed zelo bono vel maioris perfectionis studio;

c) ut *non fiat* cum notabili *detrimento* vel infamia *Religionis* aut monasterii, a quo transitur;

d) ut transiturus a Praelato suo immediato vel mediato, prout per Regulas et Ordinis Constitutiones praescribitur, propositis transeundi causis, petat *licentiam;*

e) ut a Praelato petantur *litterae dimissoriae,*[1] si tamen transitus fiat ad domum eiusdem Congregationis; alias requiritur etiam licentia S. Sedis. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 22. Aprilis 1799.[2] Ut vero licentia detur a Superiore monasterii, a quo fit transitus, necesse est Superiori constare aliam Religionem esse paratam ad religiosum suscipiendum, ita ut recta via ab uno ad aliud religiosum Institutum transitus fiat;[3]

f) Ex decreto Urbani VIII d. 21. Sept. 1624 Superior recipiens debet ante omnia inspicere litteras dimissorias Superioris Religionis, a qua fit transitus.[4]

4. *Effectus et consequentiae* (legitime peracti)[5] transitus sunt:

a) Transeuntes *redduntur inhabiles ad Prioratus* (praelaturae quoque) administrationes et officia quaecunque,

[1] *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 225 sq.

[2] *Piat.* I. p. 178.

[3] *Santi,* I. III. tit. 31. n. 38. p. 309.

[4] ibid.

[5] Qui illegitime transit incurrit poenas apostatarum et perpetuae infamiae; cf. *Piat.* I. p. 184.

etiam tanquam vicarii aliorum locum tenentes, vel regimen quodcunque;[1] item ad curam animarum et alia beneficia ecclesiastica, quae nec per se nec per alios exercere possunt.[2]

b) *Vocem aut locum in Capitulo habere non possunt*, etiamsi hoc ipsis ab aliis libere concedatur.[3] Quoad vocem activam et passivam intelligendum est de electionibus, et quoad vocem activam de aliis transactionibus.[4] Quae dicta sunt hucusque extendi dumtaxat debent de transeuntibus ex Mendicantibus ad non mendicantes juxta tenorem decretalis.[5]

c) Jure speciali vel Constitutionum vel Regulae non considerato, qui transit ad alium Ordinem, *novitiatum et professionem iterare debet*,[6] excepto si transeat, ut ibi sit Praelatus.[7]

d) *Bona transeuntis*, quae ante transitum acquisivit, pertinent ad monasterium, a quo fit transitus. Bona, quae acquisivit post professionem in altero monasterio, pertinent ad istud. Quoad bona, quae acquisivit durante novitiatu, controvertitur. "Secuta professione," ait Schmalzgrueber, "acquiruntur monasterio Religionis posterioris." [8]

Quoad *monialium dotem* allatam priori monasterio,

[1] c. 1. Clem. (III. 9).
[2] ibid.; *C. Trid.* sess. XIV. c. 11. de Ref.
[3] c. 1. Clem. (III. 9).
[4] *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 239 sq.
[5] *Schmalzgr.* l. c.
[6] S. C. C. d. 30. Aug. 1633; *Piat.* I. 185.
[7] *Piat.* ibid.
[8] l. III. tit. 31. n. 242 sq.

ea quae Card. Petra exhibet videntur omnino conformia praxi S. Congregationis E. E. et R. R. "Si adsit causa justa et necessaria transeundi, quae occasionata non fuerit a monasterio, hoc non tenetur dotem restituere, aut alimenta exhibere, nisi in subsidium, quatenus sc. monialis non habeat aliunde pro sibi constituenda nova dote. Secus autem dicendum est, si necessitas transeundi occasionaretur ab ipso monasterio, tunc enim S. C. absolute solet demandare restitutionem dotis." Quoad 1[m] partem S. C. E. E. et R. R. 30. Maii 1856 in causa Barensis contra Tranense monasterium respondit ad quaesitum· An et quomodo monast. Bar. obligari possit ad restitutionem dotis vel praestationem victus, et quanam (summa) rata, a qua die et in cuius favorem? Affirmative pro praestatione alimentorum in menstruis ducatis sex, a die ingressus monialis in monasterium Tranense, data facultate monasterio Barensi se liberandi eadem praestatione per restitutionem dotis, in reliquis negative.[1]

§ 3. *De Suppressione.*

1. Suppressio ista *legitime et licite* fieri potest tantummodo *ab auctoritate ecclesiastica*, non a civili. Auctoritas vero, sicut potest approbare Ordines et monasteriorum erectionem, ita etiam tum Ordines tum singula monasteria potest supprimere.

2. *Si Ordo* opprimitur, Religiosi sacris initiati subiciuntur jurisdictioni Episcopi, si nolint—quod

[1] *Bizz.* 648 et notam eiusdem.

ipsis liberum est et integrum—aliam Religionem a S. Sede approbatam ingredi.

3. *Si monasterium* aliquod supprimitur, incolae eius ad aliud eiusdem Ordinis se transferant oportet; bona distribuuntur prout S. Pontifex judicat.[1]

4. Quia nostris temporibus spiritus maxime infensus contra Ordines religiosos manifestatur a guberniis civilibus, non erit absre breviter aliqua dicere, quae auctoritas ecclesiastica disposuit circa regulares vi oppressos:

a) Si monasterium aliquod supprimitur, tenentur religiosi in alia, vel proprii vel alterius Instituti monasteria se recipere, ut vota persolvant.[2]

b) Si domus desint, si possunt in unum convenire et regulariter vivere, ad hoc tenentur.[3]

c) Si nequeant in eiusmodi domos convenire, indultum petere debent a S. Pontifice vel ab eius delegato, ut in saeculo remanere possint.[4]

d) Nisi Episcopis subiciantur dispersi et in diaspora viventes, regularium Superioribus, praesertim territorii Provincialibus, ex obedientiae voto semper subditi sunt.[5]

e) Voto paupertatis obstricti manent, unde neque e monasterio res mobiles auferre possunt tanquam proprietarii (tantummodo tanquam depositarii, ut

[1] *Piat.* I. p. 210.
[2] *S. Poenit.* 28. Junii 1866.
[3] *S. Poenit.* 18. Aprilis 1867.
[4] S. C. super disciplina regulari 5. Aug. 1872.
[5] ibid.; cf. *Nervegna*, p. 163.

loco, si fieri poterit, restituant vel legitimo possessori), neque bona acquirere, vel de iis libere disponere possunt.[1]

f) Obstricti manent omnibus Regulae praescriptionibus, quae cum eorum novo statu compatibiles sunt, e.g. quoad recitationem Breviarii Ordinis et Missae celebrationem juxta ritum, si quem habent, proprium.[2]

g) Juribus et privilegiis, quae assequi possunt et exequi tempore dispersionis, possunt frui, siquidem vi dispersionis eis non existunt privati.[3]

h) Pensiones a gubernio, quod suppressit ipsos, possunt regulares dispersi accipere, at deponere eas, si cum aliis regularibus vivunt, debent apud Superiores pro bono totius communitatis.[4] Si separatim vivant meliori quo possunt modo sibi provideant; possunt etiam contractus inire et pecunias apud se tenere.[5]

i) Si suppressionis tempus elapsum fuerit, ad propria monasteria redire possunt sine peculiari licentia vel nova construere. Moniales ad hoc indigent licentia S. Pontificis uti constat ex pluribus S. C. E. E. et R. R. decisionibus.[6]

k) Religiosi dispersi, qui indultum saecularisationis non obtinuerunt, debent, peracta tempestate suppressionis redire ad monasterium restauratum, saltem si hoc sit instauratum in eadem regione. Si non restauratur

[1] S. C. E. E. et R. R. 7. Aug. 1818.
[2] *Piat.* I. p. 213.
[3] *S. Poenit.* 18. April. 1867.
[4] *S. Poenit.* 28. Junii 1866.
[5] *Piat.* I. p. 215.
[6] ibid.

in eadem regione; non videntur cogendi ut deserant patriam, quamvis hoc laudabiliter facere possunt.[1]

l) Confessiones peragere debent Religiosi dispersi apud confessarios ab Ordinario approbatos, a quibus etiam absolvi possunt a censuris et casibus in Ordine reservatis, si in dioecesi minime reservata sunt.[2]

Articulus II.

De illegitimo egressu.

Inter illegitime egredientes enumerantur· ejecti, fugitivi et apostatae. De singulis aliqua.

1. *De ejectis.*

1. *Ejectus ille dicitur*, qui ex sua culpa ob legitimam causam expellitur ab Instituto religioso post emissa vota solemnia—si agitur de Ordine formali—vel simplicia perpetua—si agitur de Congregationibus—vel simplicia cum assumpto ordine sacro, si agitur de alterutro.[3]

2. Ejectio *propter culpam gravem*, quae scandalum infert et infamiam Religioni, e.g. furtum, homicidium, adulterium, formalem inobedientiam,[4] dumtaxat fieri potest.

3. *Conditiones*, ut quis expelli possit, sunt:

[1] S. C. E. E. et R. R. d. 3. Aug. 1832; cf. *Piat.* I. p. 280; *Bizz.* p. 43 sq., quoad monasteria Italiae.

[2] S. C. E. E. et R. R. d. 27. Aug. 1852; *Bizz.* p. 129.

[3] *Santi*, l. III. tit. 31. n. 41. p. 310.

[4] *Reiffenst.* l. III. tit. 31. n. 226.

a) ut *culpa sit gravis*, sc. grave peccatum inducat, *publica*, sc. nota confratribus (imo saecularibus), ita ut sine infamiae nota facile in Ordine retineri nequeat; unde etiam externa sit culpa oportet.[1]

b) Ut sit *incorrigibilis*, quapropter *trina admonitio canonica* praecedi debet.[2] Ad hoc etiam pertinebat incarceratio (in propriis Ordinis carceribus) per unius anni spatium in jejunio et poenitentia; ex decreto Urbani VIII "Sacra Congregatio." De ista incarceratione silet quidem "Auctis admodum"; ast cum renovet decretum citatum et insuper "correctionem" requirat, non est illa incarceratio abolita dicenda. Si vero ex temporum adjunctis hoc plerumque fieri nequit, non eo ipso cessat potestas Superiorum ad hanc poenitentiam infligendam.

c) Si ista trina admonitio et correctio deficit effectu, "Superiores debent *processum* contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum—quapropter defensores statuuntur in uno-

[1] Decret. *Urbani VIII* d. d. 21. Sept. 1624; cf. *Reiffenst.* l. c. n. 227; "Auctis admodum" *Leonis XIII* d. 4. Nov. 1892. n. III. Verum hoc nobis nimis videtur, ut etiam saecularibus culpa oporteat sit nota. Nam, si excipias adulterium, alia vitia supra enumerata non sunt ex natura sua publica vel notoria facti. Hoc praesertim valet de formali inobedientia, quae quidem confratribus innotescit, imo scandalo est, at nequaquam saecularibus eo ipso notoria fit. Unde dicerem simpliciter notoria sive hoc refertur ad confratres sive etiam ad saeculares.

[2] "Auctis admodum," n. III.

quoque Instituto juxta Const. Benedicti XIV 'Si datam' d. 7. Martii 1718—exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Concilio sententiam expulsionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit, si condemnatus a sententia prolata, rite ad S. C. E. E. et R. R. appellaverit, donec per eandam S. C. definitivum judicium prolatum non fuerit.—Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supra dicta servari nequeat, tunc *recursus haberi debet ad hanc S. C.* ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo juxta praxim vigentem apud hanc S. Congregationem." Ita "Auctis admodum" n. III.—*Superior* hic intelligitur *Generalis*, item concilium generale. Ast eadem potestas ejiciendi potest delegari alteri a Superiore Generali, quia ipsi competit jure ordinario;[1] et conceditur Provincialibus (quibus Abbates Praesidentes aequales sunt habendi) ut "electis in congregationibus provincialibus sex gravibus ex propria Provincia religiosis a Generali confirmandis (quod in congregationibus quae Generalem non habent supplendum videtur per ipsam electionem in congregatione factam) de illorum consilio et assensu, causas huiusmodi cognoscant et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suae Provinciae et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis (vel Praesidentis

[1] *Reiffenst.* III. tit. 31. n. 235.

congregationis) definiant." Ita ex decreto Innocentii XII "Instantibus" d. 24. Julii 1694.

4. *Effectus ejectionis:*

a) "Ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem—interim debent se emendare, ut iterum recipiantur—in habitu clericali (saeculari) incedere debent." Tamen gestatio habitus clericalis videtur pro s. ordinibus initiatis tantum praescribi; nam plerumque moralis impotentia aliter adesset.

b) Manent Religioni subditi et suo modo tenentur ad tria vota substantialia. Quoad obedientiae votum, subsunt Ordinarii jurisdictioni.[1] Etiam ad vota solemnia professioni adnexa obligantur, quamvis haec vota suspensa maneant quoad obligationem.[2]

Quoad alias S. Regulae et Constitutionum praescriptiones uti, e.g. jejunii et abstinentiae, horas canonicas non est unanimis sententia auctorum; negativa est communior.[3] Ad horas canonicas, constituti in sacris utique tenentur.

c) "Extra Religionem degentes sunt perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi."[4] Neque possunt concionare vel docere,[5] quamvis si haec duo ultima faciant, irregulares non fiant.

d) Jus non habent ut sibi a Religione alimenta

[1] Dec. *Urb. VIII* cit.; *Reiffenst.* l. c. n. 240 sq.

[2] *Schmalzgr.* III. tit. 31. n. 251.

[3] cf. *Reiffenst.* l. c. n. 241; *Schmalzgr.* l. III. tit. 31. n. 249.

[4] "*Apostolicae Sedis,*" § V. de Suspens.

[5] *Craisson,* n. 3088. *Docere* certe intelligendum est de disciplinis ecclesiasticis, non vero de saecularibus.

suppeditentur, nisi injuste fuerint ejecti: lite tamen pendente alimenta eis praestanda sunt.[1]

e) Si ejecti decedant extra claustra, nisi sepulturam elegerint, in ecclesia parochiali sepeliri debent, non in monasterii coemeterio.[2]

f) Juste ejectus, si emendatus ad claustra rediens—quem monasterium, nisi justa causa repellendi, e.g. scandalum innocentium vel fama monasterii, adsit, iterum recipere tenetur[3]—non admittatur, potest tuta conscientia remanere in saeculo, nec in aliam Religionem, etiam laxiorem, introire tenetur.[4]

§ 2. *De fugitivis.*

1. *Fugitivus* religiosus *ille est*, qui e monasterio ex quocunque, etiam pii operis praetextu, absque Superiorum licentia recedit vel cum habitu vel sine habitu cum intentione tamen ad monasterium redeundi. Item qui egreditur sub praetextu adeundi Superiores, nisi fuerit ab iisdem missus vel vocatus, vel qui egreditur sub praetextu adeundi Apost. Sedem. Quoad hoc ultimum, excipitur casus quo religiosus ob gravamina a Superioribus sibi illata volens ad Sedem Apost. confugere, probare potest testium proborum fide, Superiores denegasse expostulatam licentiam. Ita ex Const. Sixti V "Cum de omnibus" d. 21. Oct. 1588 et eiusdem Const. "Ad Romanam" d. 21. Oct. 1589.[5] Pariter ex

[1] *Craisson*, n. seq.
[2] id. n. 3091.
[3] *Piat.* I. p. 224.
[4] *Craisson*, n. 3092; *Piat.* I. p. 225.
[5] cf. *Santi*, l. III. tit. 31. n. 45. p. 313.

eiusdem Const. "Cum de omnibus" uti fugitivus considerari et tractari nequit religiosus in casu, quo ipse discedens ex monasterio plene cognoscitur ab illis apud quos divertit, ita ut nulla dubitatio aut suspicio contra religiosum de irregulari discessu concipi possit.[1]

2. *Poenae propriae* pro fugitivis non constituuntur in jure communi, nisi habitum dimiserint[2] vel transeant ad curias saecularium principum ad effectum nocendi Praelatis et Religioni, in quibus duobus casibus incurrunt excommunicationem nemini reservatam.[3] Diximus jure communi; nam vel Regula vel Constitutiones forsitan poenam propriam statuunt.

3. Obligationes fugitivorum eaedem sunt ac apostatarum, unde vide infra.

§ 3. *De apostatis.*

1. *Apostata ille dicitur* qui Religionem illegitime deserit absque animo ad eam redeundi.[4] Nec interest, utrum habitum religiosum dimiserit necne.[5] Nota tamen veri nominis apostatam non esse illum, qui durante triennio votorum simplicium e monasterio egreditur cum animo huc non redeundi; exceptis religiosis S.J. post vota biennii.[6] Recessus item debet esse completus opere, extra monasterii septa.[7]

[1] cf. *Santi*, ubi supra.
[2] c. 2. 6° (III. 24).
[3] *Piat.* I. p. 205.
[4] *Santi*, l. c. n. 46.
[5] *Reiffenst.* l. III. tit. 31. n. 251.
[6] *Piat.* I. p. 195.
[7] ibid.

2. *Poenae latae* contra apostatas sunt:

a) Excommunicationem ipso facto incurrunt, si habitum dimiserint, juxta aliquos.[1] Ast quia Const. Pii IX "Apost. Sedis" de hac poena silet, alii dicunt eam non amplius incurrere. Ita Santi.[2] Hoc ex jure communi. Nam Constitutiones et Regula aliter statuere possunt.[3]

b) Suspenduntur a sacris ordinibus, et si celebrent, durante apostasia, irregulares fiunt,[4] juxta plures saltem auctores aliis contradicentibus.[5]

c) Durante apostasia amittunt omnia Religionis privilegia, saltem si habitum dimiserint et sententia declaratoria sit secuta.[6]

d) Si delinquunt, possunt ab Episcopo, ubi delinquunt puniri, imo in carceres inici ab ipso et Superioribus consignari, ut secundum Instituti regulam puniantur.[7] Hoc valet etiam de fugitivis.

3. *Obligationes apostatarum* (et fugitivorum).

a) Tenentur vota servare quae emiserunt.

b) Tenentur omnes Constitutiones et observantias servare, quae sub peccato obligant.

c) Tenentur sub gravi sine mora redire.[8]

[1] cf. *Piat.* I. 198.

[2] Prael. Juris Can. l. III. tit. 31. n. 46. p. 313 sq.

[3] ibid.

[4] *Craisson*, n. 3081.

[5] cf. *Piat.* I. 190.

[6] *Craisson*, n. 3081; *Piat.* I. p. 199; *Trid.* sess. XXV. de Reg. c. 19.

[7] Ex decreto Urbani VIII cit. d. 21. Sept. 1624; cf. *Santi*, l. c.

[8] *Reiffenst.* l. III. tit. 31. n. 252.

Istae, uti diximus, obligationes incumbunt etiam fugitivis.

4. *Obligationes Superiorum.*

a) Superiores tenentur conquirere et revocare fugitivos et apostatas, saltem eos, de quibus effulget spes emendationis vitae et quos utiles esse judicant Religioni.[1] Haec obligatio in genere adhuc viget,[2] licet non amplius annualis revocatio facienda sit ob contrariam dispositionem ex temporum circumstantiis inductam. Superiores insuper possunt etiam uti vi coactiva, imo ad brachium saeculare confugere.[3]

b) *Admonentur Superiores* ut benigne eos recipiant et charitative tractent eosque juxta normam legis punitos etiam ad honores, gradus, locum et voces restituant. Ampla gratia praesertim conceditur tempore Jubilaei, quo ab omni poena affligenda absolvi possunt, si humiliter id petierint.[4]

[1] *Piat.* I. p. 203.
[2] S. C. C. d. 10. Martii 1629; 15. Martii 1636.
[3] *Santi*, l. III. tit. 31. n. 46. p. 314.
[4] *Piat.* I. p. 203 sq.

CAPUT VII.

DE CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS.

Loquendo de Congregationibus religiosis, quarum novas in dies videmus crescere in arbore fructifero S. Matris Ecclesiae, possumus eas considerare eodem modo, quo tractatum fuit de Ordinibus formalibus. Unde dicemus de earum natura, de erectione, de amplectendo illas, de illarum membrorum obligationibus et de regimine earundem, etc.

Articulus I.

De Congregationum religiosarum natura.

1. Congregationes sive virorum, sive mulierum *pertinere censentur ad statum religiosum*, si *a*) vota perpetua quamvis simplicia in eis emittuntur, *b*) si Institutum ipsum, non solum eius Constitutiones, Sedes Apostolica sive S. C. E. E. et R. R. approbavit.[1] Ast quamvis de statu religioso participent, non tamen vocantur regulares (resp. moniales) in proprio sensu, quia talia nomina reservata sunt Ordinibus formalibus, in quibus vota solemnia (quamvis non ab omnibus) emittuntur.[2]

[1] cf. *Kirchenlexicon*, "Congregationen," n. 2; *Bizz.* p. 428; in Lagiensi, d. 9. Jan. 1835.

[2] *Aichner*, p. 495; *Ball.-Palm.* Opus Theol. IV. p. 17. n. 32. Hoc valet etiam e.g. de Redemptoristis; S. C. E. E. et R. R. d. 14. Sept. 1864.

2. Instituta vero, quae uno alterove ex enumeratis elementis carent, i.e. aut non omnia 3 vota substantialia habent vel non sunt a Sede Apostolica (quamvis ab Ordinario) approbata, non vocantur Congregationes religiosae, sed *piae congregationes* vel Instituta pia; conventus vel domus earundem dicuntur quidem loca religiosa, at non in sensu monasterii.[1] At quodammodo, si emittunt 3 vota substantialia, character status religiosi non potest ipsis denegari.[2] Sat proximae istis sunt congregationes saeculares, in quibus unum alterumve votum nuncupatur vel acceptio votorum a parte Superioris non habet locum, uti apud Lazaristas.[3]

Articulus II.

De earundem erectione.

1. *Pius V* Const. "Lubricum vitae genus" d. 17. Nov. 1568 prohibuit congregationes virorum qui vivunt in communi sub obedientia voluntaria et extra votum solemne Religionis, quorum habitus a saecularibus est distinctus. Item idem S. Pontifex, Const. "Circa pastoralis," d. 29. Mai 1566, omnes moniales absque clausura et votis solemnibus, communiter viventes de medio sublatas et extinctas esse voluit, et hoc potissimum ad numerosas Tertiariarum congregationes tunc existentes spectabat.[4] Ast successu temporis praxis

[1] *Kirchenlexicon*, l. c. n. 3; auctor illius tractatus est cl. *Lehmkuhl*, S.J.

[2] ibid.

[3] ibid. n. 4.

[4] *Aichner*, p. 494.

contraria invaluit et nostris temporibus sunt non solum numerositate, sed etiam activitate valde conspicuae in Ecclesia—certe non ad ipsius detrimentum, sed potius incrementum.

2. *Leges quoad erectionem* Ordinum et monasteriorum non sunt practice loquendo, extendendae ad tales congregationes, ideoque eaedem cum sola Ordinariorum approbatione et auctoritate inchoari et propagari possunt. Item licite ex sola Ordinarii licentia harum congregationum singuli conventus constituuntur. Sed pro erigendis novitiatibus et provinciis erit recurrendum ad S. C. E. E. et R. R.[1] [pro terris missionariis, uti Americae Septemtrionalis recursus fit, etiam pro erigendis domibus, ad S. C. de Propaganda Fide].

3. *Methodus* (sc. pro congregationibus religiosis) vero qua proceditur est sequens: Postquam litterae commendatitiae Episcoporum, in quorum dioecesibus domus alicuius congregationis religiosae, etc. [si in una tantum dioecesi existant, S. C. non solet approbare Constitutiones] extant, ab ipsis Ordinariis ad S. C. directae fuerint, Superior noviter institutae Congregationis petitionem commendationis vel approbationis diriget ad S. Pontificem (titulo: Beatissime Pater), cui petitioni praemittet historiam fundationis, approbationis, etc., statum personalem et realem congregationis, observantiam regularem, etc.[2] Tunc S. C. respondere solet; respectu habitu ad varias rationes:

[1] cf. *Bizz.* Coll. p. 784. n. 7; p. 787. n. 15; p. 790. n. 1.

[2] Iste conspectus cum petitione scribi oportet lingua latina aut italica, quod etiam valet de Constitutionibus; cf. *Batandier,*

1° "SSms. D. N., etc. Attentis litteris commendatitiis Antistitum locorum, *scopum fundatoris* (vel instituti) praesentis decreti tenore summopere *laudat atque commendat;*" (hoc praesertim, si Constitutiones propriae non jam fuerint concinnatae).

2° "SSmus. D. N., etc. Attentis, etc., *praefatum institutum uti Congregationem* votorum simplicium, sub regimine Moderatoris (vel Moderatricis) Generalis, salva Ordinariorum jurisdictione ad praescriptum ss. canonum et Apostolicarum constitutionum, praesentis decreti tenore *amplissimis verbis laudat atque commendat,* dilato ad opportunius tempus Constitutionum examine." Hoc tunc praesertim locum habet, postquam primum (1°) decretum datum fuerit et Constitutiones prima vice et formâ missae fuerint.

3° "SSms. etc. Suprascriptas *constitutiones,*[1] prout in hoc exemplari continentur, ad *triennium* (vel quinquennium) per modum experimenti *approbat atque confirmat.*" Et si ad perpetuum approbantur, auferuntur verba "ad triennium,etc., per modum experimenti."[2] Approbatio non datur, nisi finis Instituti sit laudabilis, ad charitatem christianam tendens, non supra vires, praesertim mulierum, interior vita nulla reprehensione

Guide canonique pour les Constitutions des Soeurs a voeux simples, Paris, V. Lecoffre 1898, p. 9 sq.; cf. etiam *Arndt Aug.* S.J. Die Kirchlichen Rechtsbestimgn. der Frauen-Congregationen, Mainz, Kirchheim 1901, p. 17.

[1] Constitutiones saltem numero duodecim mittantur pro membris consultatoribus; *Batandier*, p. 11.

[2] *Bizzarri*, Collect. ed. 1885, p. 172 sq.; *Schuppe*, Wesen u. Rechtsverhältnisse der neueren religiös. Frauengenossenschaften, Mainz 1868, p. 23.

digna; dein status materialis et personalis talis, ut crescere et vigere possit Institutum et tandem approbatio Ordinariorum accepta.[1] Post temporariam Constitutionum approbationem, quam concomitantur *animadversiones S. Congregationis*, non possunt iterum mutari Constitutiones, sed sunt in praxim deducendae, tanquam approbatae ad experimentum. Post temporis terminum a Congregatione (sive 5, sive 7, sive 10 annos) praescriptum, Institutum ne moretur approbationem definitivam expostulare, cum documentis tum Ordinariorum tum Congregationis religiosae novae additis petitioni.[2]

4. Aliae formalitates ad erectionem, quae pro regularibus sunt praescriptae, uti licentia Sedis Apostolicae non requiruntur.[3] Sed specialis quaestio occurrit, utrum Episcopus ad dandum licentiam pro erigenda nova domo interrogare teneatur "interesse habentes" et in specie alios regulares in eodem loco existentes. Haec quaestio, in quantum nobis constat, nondum soluta est a tribunali competenti. Unde cum juris dispositiones loquantur de solis regularibus, non videntur extendendae ad Congregationes. Alii utique distinguunt inter eleemosynas quaestuantes et non quaeritantes, dicentes ad illos extendere dispositiones juris, non vero ad posteriores.[4]

[1] *Schuppe*, l. c. p. 24; Consulantur etiam "*Normae*" secundum quas S. C. E. E. et R. R. procedere solet in approb. novis Institutis cum votis simpl. Romae 1901.

[2] *Batandier*, p. 21 sq.

[3] C. *Trid.* sess. XXV. de Ref. c. 3; excipe terras missionum.

[4] *Piat.* II. p. 282. Aliter *Schuppe*, l. c. p. 26, qui simpliciter affirmat, nulla auctoritate citata.

Articulus III.

De Ingressu in Religiosas Congregationes.

1. *Admissio* Postulantium *pertinet ad Superiorem* vel Superiorissam Generalem consentiente Ordinario. Conditiones quoad qualitates generatim determinantur per Constitutiones.[1] Regulariter dotem afferre tenentur ingredientes Instituta mulierum; nec conceditur Superiorissae facultas (saltem generatim) recipiendi novitias sine dote, quia quandam alienationis speciem praeseferret.[2]

2. *Novitiatus tempus et locus.* "Expediret ut novitiae integrum biennium tyrocinii explerent in domo novitiatus—quae erigitur nonnisi licentia S. C. E. E. et R. R.—quin interim ad alias domos mittantur."[3] Ast hoc tempus vel iste locus non afficit validitatem professionis. "Absonum a jure et ab approbata disciplina omnino est, puellas admitti ad habitum post expletum Novitiatum; quare ad habitum admissio prorsus debet Novitiatum praecedere."[4] Constituitur a Superiorissa cum suo consilio Magistra Novitiarum, sub cuius cura vivent separatim a sororibus.[5] Pro vestitione et

[1] "Viduae, ceteraeque mulieres qualitatibus requisitis destitutae non recipiantur...." in singulis casibus recurratur ad S. C. E. E. et R. R., ead. S. C. d. 27. Sept. 1861; cf. *Bizzarri*, Coll. p. 795. n. 13.

[2] id. p. 777. n. 9.

[3] id. p. 783. n. 9 et 10; p. 781. n. 7; p. 787. n. 15.

[4] id. p. 795. n. 12.

[5] id. p. 709. n. 4; p. 783. n. 5.

professione praemittenda sunt *exercitia spiritualia* decem dierum.[1]

Insuper *certiorem reddat Superiorissa Ordinarium* mense ante professionem ut examen instituat de admittendis.[2] At abusus, videtur irrepsisse, ut, qui vocatur Director generalis, qui se putat gaudere omnimoda facultate imo et jurisdictione super sorores, simpliciter certior reddatur, et Episcopus nihil sciat de illis, quae ad professionem admittuntur. Jamvero iste abusus est omnino contra mentem S. C. E. E. et R. R., quae vult omnia jura Episcopi sarta tectaque et renuit saepe concedere talem Directorem vel Patrem spiritualem.[3] Idem valet quoad delegatum Episcopi. Haec dicimus ea mente, ut magis jus commune perpendatur.

Disponere possunt *novitiae*, dote determinatâ deductâ, de *bonis suis* vel de eorum usufructu nec prohibendae sunt ab hac dispositione.[4] Dos deinde determinatur, quam semel determinatam non licet mutari. Aequalis pro omnibus constituatur, saltem eadem pro omnibus Choristis et eadem pro omnibus Conversis.[5]

3. *Professio* fit generatim inter S. *Missae celebrationem* pro sororibus: "Celebrans profitentium vota excipiens, sumpto Ssmo. Eucharistiae sacramento, absoluta confessione ac verbis, quae ante communionem

[1] cf. *Bizzarri*, Coll. p. 783. n. 10.

[2] *Batandier*, p. 84.

[3] *Bizz.* l. c. p. 777. n. 13; p. 778. n. 1, n. 6; p. 780. n. 5; p. 781. n. 6; p. 783. n. 6.

[4] id. p. 778. n. 8 sq.

[5] *Batandier*, p. 86 sq.

fidelium dici solent, S. Hostiam manu tenens ad professentes se convertet. Hi vero singuli, alta voce professionem suam legent, ac postquam quisquam legerit, statim Ssm. Eucharistiae Sacramentum sumet." S. R. C. d. 27. Aug. 1894.[1] Hoc valet, ubi professio fit inter missarum solemnia; tamen etiam in alio loco, e.g. in aula capituli, fieri potest; S. R. C. d. 5. Junii 1896.[2]

Formula professionis subscribi oportet propria manu (saltem signo crucis, si scribendi est incapax) coram duobus testibus et registrari oportet in libro professionum.[3] Formula ista approbetur oportet a S. Sede, unde in corpus Constitutionum (ubi de professione) inseratur; S. C. E. E. et R. R. d. 12. Aprilis 1888, et est eadem pro Choristis et Conversis S. C. E. E. et R. R. d. 23. Aug. 1887.[4]

Quamvis professio fit *praesidente Ordinario* vel eius delegato, tamen ipsa facienda est "in huiusmodi Institutis Superiorissae generali et non Episcopo;" S. C. E. E. et R. R. d. 21. Martii 1885.[5]

Nullum votum praeter tria substantialia emitti permittitur. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 22. Sept. 1892, d. 16. Sept. 1888, et d. 13. Aug. 1887, nec votum stabilitatis vel perseverantiae, quod "in professione perpetua comprehenditur;" S. C. E. E. et R. R. 13. Maii 1888.[6]

Demum observa *vota* prius emitti ad *certum tempus*,

[1] *Batandier*, p. 91.
[2] ibid.
[3] ibid.
[4] id. p. 92.
[5] id. p. 93. Non satis clare loquitur *Schuppe*; l. c. p. 41.
[6] *Batandier*, p. 93 sq.

antequam ad perpetuum. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 13. Aug. 1887; 22. Maii 1896.[1] Elapso termino votorum temporalium admittatur ad perpetua emittenda, si digna sit; secus dimittatur. Aetas hac in re nihil refert, unde "non potest rejici propter insufficientem aetatem"; S. C. E. E. et R. R. d. 8. Sept. 1896; 30. Sept. 1891.[2] Porro prorogatio ad alterum annum (non plus) ad modum ulterioris probationis in votis temporaneis conceditur concilio Superioris generali. Ita S. C. E. E. et R. R. d. 30. Julii 1875; 24. Aug. 1887.[3]

4. *Si contra validitatem professionis reclamatar* sive ex capite vis et metus, sive ex capite consensus, Episcopus certior faciendus est, qui procedet similiter ac quoad Regulares. Quinque annos post professionem datur locus reclamationi.[4] Vide supra. Ceteroquin hic casus, si occurrit non est tantis difficultatibus obnoxius, siquidem facilius aut revaliditatur aut dispensatur.

Articulus IV.

De Obligationibus.

1. Obligatio ex votis respicit paupertatem, castitatem et obedientiam.

a) Quoad paupertatem: S. C. semper insistit quod "votum simplex paupertatis magis praecise determinetur, declarando quod dominium radicale non impedit, sed quod sola administratio et ususfructus ad

[1] *Batandier*, p. 96.
[2] id. p. 98.
[3] id. p. 99.
[4] *Schuppe*. p. 96.

institutum spectet, nisi ante professionem de usufructu Soror disposuerit."[1] Possunt sorores etiam professae testamentum condere, quin indigeant facultate Superiorissae generalis. S. C. E. E. et R. R. d. 2. Martii 1894. n. 11.[2]—At eodem tempore firmiter tenendum "omnia communia in Societate esse debere sive quoad cibum, sive quoad vestimentum;" S. C. d. 21. Martii 1884 ad 3.[3] Et "quidquid professi sua industria vel intuitu societatis acquisiverint non sibi adscribere aut reservare poterunt, sed haec omnia inter communitatis bona refundenda sunt ad communem Societatis utilitatem;" S. C. d. 25. Januarii 1897.[4] Virtute vero huius voti sanitas vel valetudo non donatur Instituto. Nam haec "non habet relationem cum voto paupertatis;" unde de hac mentio non fiat in Constitutionibus.[5]

b) *Quoad castitatem:* Votum simplex constituit impedimentum prohibens, non vero dirimens matrimonii, quod debet exprimi in Constitutionibus. "Addatur vero quod per votum castitatis prohibetur nuptias inire;" S. C. 22. Martii 1897.[6] Ast nihil de parvitate materiae vel actibus internis Constitutionibus addatur, ne theologiam moralem edere videantur.[7]

[1] *Bizz.* p. 777. n. 7; p. 780. n. 4; p. 781. n. 8; p. 782. n. 9; p. 785. n. 11; p. 787. n. 3.

[2] *Batandier,* p. 109.

[3] id. p. 111.

[4] id. p. 110.

[5] *Bizz.* p. 786. n. 10. Ita aliquando loquuntur Constitutiones approbandae, unde S. C. hanc expressionem rejecit.

[6] *Batandier,* p. 119.

[7] ibid.

c) *Quoad obedientiam:* Regulae valde utiles exhibet S. C. E. E. et R. R. in animadversionibus, quarum aliquae hic ponantur, quas etiam Superiores regularium non inutiliter sequi possunt.

α) Constitutiones observare, non vi voti obedientiae, tenentur; S. C. 22. Sept. 1896; nec sub poena peccati; S. C. 15. Maii 1891.

β) Debent obedire professi tum in re, tum in voluntate, tum in intellectu; S. C. 20. Aug. 1897; Superiorum mandatis quae conformia sunt Regulae et Constitutionibus; S. C. 22. Dec. 1896.

γ) "Si Superiorissa velit aliquam sororem obligare ad aliquid peragendum vel omittendum sub peccato gravi, praeceptum hoc, non verbaliter tantum, sed in scriptis dandum erit;" S. C. 15. Feb. 1870. Raro tamen utantur formula "in virtute obedientiae," et nonnisi ex gravissimis rationibus; S. C. 21. Dec. 1888.[1]

δ) "Obedientiam praestare debent sorores quibuslibet officialibus, in iis quae ad earum munus pertinent, non ratione commissionis a Superiorissa generali habita, sed ratione auctoritatis qua pollent in eo administrando;" S. C. 19. Julii 1895.[2]

ε) Litterae omnes antequam aperiantur vel obsignentur, per manus Moderatricis localis transeant, exceptis iis quae dantur vel recipiantur a S. S. Congregationibus, ab Ordinario loci vel a Superiorissa generali. Relinquitur autem prudenti discretioni praefatae moderatricis non exceptas legere antequam mittantur vel con-

[1] *Batandier*, p. 114 sq.; S. C. = S. C. E. E. et R. R.
[2] id. p. 115.

signentur cui dirigantur; ea tamen quae legerit sub secreti sigillo servanda esse sciat; S. C. 22. Maii 1895.[1]

ζ) De *manisfestatione conscientiae* clare loquitur auctoritas Romanae Sedis. "Ob abusus qui irrepserunt in praesens S. C. minime solet approbare aperitionem conscientiae Superiorissae, sed tantum permittitur, ut sorores, si velint, pandere possint defectus in Regulae observantia et progressum quoad virtutes; de aliis enim ab eis agendum est cum proprio Confessario;"[2] S. C. 10. Martii 1860;[3] 25. Aprilis 1850;[4] 30. Aprilis 1860,[5] ubi praesertim manifestatio in scriptis prohibetur; 9. Maii 1860;[6] 6. Junii 1860, etc., etc.

2. *Quoad statum religiosum.*

a) Quoad *vitam communem spiritualem* dicendum est, communiter solere recitari a sororibus, saltem choristis, quotidie *officium B. M. V.;* S. C. d. 26. Junii 1870; et quidem lingua latina, non vernacula; S. C. 21. Martii 1866: quae quidem recitatio non est obligatoria, nec pro choristis; S. C. 27. Sept. 1861.[7] De *aliis precibus*, praesertim litaniis non fiat mentio in Constitutionibus, nec etiam de rosariis; S. C. d. 6. Junii 1860.[8] Ne se onerent Congregationes deditae proximi saluti nimiis devotionibus; S. C. d. 29. Julii 1896.[9]

b) Quoad *clausuram:* "Domus sodalitatum huiusmodi (sc. quarum Constitutiones ab Apost. Sede sunt approbatae et non sunt mere dioecesanae), si clausura

[1] *Batandier*, p. 117.
[2] *Bizz.* p. 776. n. 4.
[3] id. p. 779. n. 10.
[4] id. p. 780. n. 7.
[5] id. p. 781. n. 9.
[6] id. p. 782. n. 10.
[7] *Batandier*, p. 132.
[8] *Bizz.* p. 782. n. 3.
[9] *Batandier*, p. 134.

episcopali utantur, Episcopis jura manent integra, quae de hac re a Pontificiis legibus tribuuntur. Si qua autem clausura, ut inquiunt, partiali, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere."—Leo XIII Const. "Conditae" d. 7. Dec. 1900.[1] Ex hoc sequitur quod Episcopus dispensare possit a clausura—nam fere semper clausura dumtaxat episcopalis, non vero papalis conceditur Congregationibus,[2]—etiam in casibus a jure non expressis.[3] Casus a jure expressus sunt: magnum incendium, lepra, epidemia; ex Const. Pii V "Decori" d. 1. Feb. 1570. Episcopus in hisce procedere potest contra inobedientes et contradictores censuris et aliis poenis, quacunque appellatione postposita et quidem auctoritate propria, non delegata.[4]

c) *Quoad habitum:* *α*) Generatim vestis debet esse nigri coloris, sericis vestibus omnino exclusis; S. C. 22. Maii 1895.

β) Uniformitas item praescribitur, ita ut nulla differentia habitus coadjutricum et choristarum admittatur; S. C. 2. Martii 1894.

γ) Institutum si velit approbari, debet S. Congregationi habitus formam praesentare; S. C. 17. Maii 1897; saltem hoc notetur in Constitutionibus.

δ) "Forma habitus (semel approbata) immutari

[1] *Anal. Ecclesiastica*, Dec. 1900, p. 481.

[2] Exceptionem quoad monast. in Reggio Calabria et Polycast. vide apud *Bizz.* p. 88.

[3] *Santi*, l. III. tit. 36. n. 26. p. 345 sq.

[4] id. n. 18. p. 341.

nequit sine licentia expressa S. Sedis;" S. C. 8. Sept. 1896.[1]

Hic non erit absre adducere quae *ad Status Unitos* referenda sunt praesertim et in specie ad moniales a Visitatione B. M. V. juxta decretum S. C. E. E. et R. R. d. 30. Sept. 1864.[2]

1° Vota quae a Monialibus a Visitatione B. M. V. ad Georgetornensem, Mobile, S. Aloisii et Baltimorae emittuntur, vi Rescriptorum esse vota solemnia.

2° Quoad clausuram, praedictas Moniales uti posse facultatibus sibi a S. Sede concessis.

3° In futurum prius emittenda esse vota simplicia ad quinquennium, dein nuncupari posse solemnia (post 10 annos) praeviis exercitiis 10 dierum; simpliciter professas gaudere omnibus privilegiis et favoribus solemniter professarum.

4° Vota quae ab aliis monialibus in monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apost. Sede obtinuerint.

5° In monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a monialibus emittenda esse simplicia.

Exceptis ergo iis a Visitatione monialibus emissis, vota omnium monialium sunt simplicia, unde consequentia videbitur quoad earundem exemptionem.

[1] cf. *Batandier*, p. 100 sq.

[2] *Bizz.* p. 735. sq.; S. C. de Prop. Fide 16. Sept. 1867; cf. *Smith*, Compend. n. 844.

Articulus V.

De Regimine Congregationum ad intra et extra.

§ 1. *Ad intra.*

1. *De capitulo generali.*

a) Auctoritas principalis alicuius Instituti religiosi est *Capitulum generale*, cui duplex munus incumbit: electio officialium maiorum et tractatio negotiorum maioris momenti.[1]

[1] *Batandier*, p. 161. Hic notetur aliqua distinctio quae forte adjuvabit intelligentiam quoad directionem Ordinariorum et praecavebit confusionem. Nam non raro fit ut quaedam membra alicuius congregationis religiosae, quae qua talis fuit approbata a Sede Apostolica, se separent a materna congregatione, fundando, uti dicunt, domum independentem. Quid tunc? Dependet imprimis utrum illa membra aliquam relationem cum congregatione, cuius Constitutiones retinent, praeservent necne. Si prius, tunc subsunt gubernio generali congregationis maternae et participant de omnibus privilegiis et juribus, e.g. quoad jurisdictionem Episcopi etc. Si vero omnino se subtrahunt ab obedientia domui maternae debita et nihil nisi Constitutiones retinent quatenus approbatae sunt a Sede Apost. pro congregatione materna et novas aliquas modificationes, uti generatim fit, addunt, tunc sunt nihil aliud quam instituta dioecesana et ab Ordinarii arbitrio ex toto dependent quoadusque domus independentis Constitutiones ab Apostolica Sede sunt recognitae. Unde nequaquam possunt reclamare independentiam a jurisdictione Episcopi, e.g. quoad vota emittenda vel solvenda, appellando ad factum quod congregatio materna hoc privilegio gaudeat. Nam eo ipso quod ex toto separant ab ista, privilegia amittunt et novum institutum formant, quod S. Sedis indiget recognitione et approbatione. Exempla huiusmodi in hac nostra regione occurrunt.

b) "Capitulum generale *electivum* quolibet sexennio, *consultativum* vero pro negotiis discutiendis et definiendis congregationis quolibet triennis celebrabuntur;" S. C. 25. Aprilis 1895.[1] Dies fixus pro concilio electivo non praefigatur; S. C. 29. Julii 1896.[2]

c) *Convocatio* fit a Moderatrice generali, per litteras ab ipsa scribendas, mense antea consulto Episcopo; S. C. 25. Aprilis 1896.[3] Habetur in loco a Superiorissa generali designando; S. C. 10. Maii 1895.[4]

d) "Pro convocando *extra tempus* statutum, capitulum generale, vel suspendenda et proroganda eius celebratione non sufficit consilii generalitii deliberatio et licentia Ordinarii, sed requiritur licentia S. Congregationis;" S. C. 24. Aug. 1887.[5]

e) *Consistit capitulum generale* ex Superiorissa generali, consultatricibus, officialibus generalibus, Superioribus localibus et delegatis, si Institutum non est divisum in provincias.[6] Si est divisum in provincias consistet ex Superiorissa generali, consultatricibus sive assistentibus, provincialibus et duabus delegatis ex unaquaque provincia.[7]

f) Porro quae *jus suffragii* sivi passivi sive activi habent quoad capitulum eligendum sunt, quae aliquot annos professionis habuerint et aliquod munus exercuerint. Nec relinquendum est arbitrio Superiorissae generalis eiusque consilii jus concedendi vocem activam

[1] *Batandier*, p. 163.
[2] ibid.
[3] id. p. 164.
[4] id. p. 165.
[5] id. p. 164.
[6] id. p. 165.
[7] id. p. 169 sq.

et passivam sororibus; S. C. d. 10. Martii 1860.[1] Delegata uniuscuiusque domus eligitur ab omnibus sororibus professis eiusdem domus; S. C. 30. Julii 1897.[2] Nec requiritur ut eligentes sint perpetuo professae; delegata utique debet esse ex perpetuo professis; S. C. 24. Aug. 1887.[3] Electio delegatarum fit per suffragia secreta et secundum maioritatem votorum.[4]

g) *Durare* debet *capitulum*, quamdiu negotia tractanda hoc requirunt; S. C. d. 12. Martii 1894.[5]

h) *Capitulo tum electivo tum consultativo*, i.e. sexennali et triennali *praesidebit Episcopus loci* (in quo capitulum celebratur), uti Delegatus Apostolicus; S. C. 20. Feb. 1861; 16. Nov. 1888. Potest utique subdelegare aliam idoneam personam ecclesiasticam; S. C. 26. Junii 1870.[6]

2. *De electione Superioris generalis.*

a) Eligitur, generatim, Moderatrix generalis ad sexennium et facienda est electio omnino *per secreta suffragia*, excluso alio modo electionis; S. C. 9. Junii 1883.[7]

b) "*Duae scrutatrices* eligantur in capitulo per maiorem suffragiorum partem. Ipsae assistant praesidi Capituli, enumerant, legunt et comprobant schedas cum nominibus ipsis extensas a praeside. Nomina obtinentium vota, legantur clara et intelligibili voce et scribantur a sororibus secretariis. Non admittantur duo sacerdotes assistentes Episcopo, qui legant et scribant nomina inscripta in schedis."—S. C. 8. Sept. 1896.[8]

[1] *Bizz.* p. 777. n. 6.
[2] *Batandier*, p. 167.
[3] id. p. 168.
[4] ibid.
[5] id. p. 171.
[6] id. p. 172.
[7] id. p. 174.
[8] id. p. 175.

c) *Ad validitatem actorum capituli generalis,* duas tertias partes saltem vocalium interesse necessarium erit; S. C. 19. Julii 1895.[1]

d) *Si* post primum scrutinium *electio* canonica Moderatricis generalis *non habeatur,* acta electionis repetenda erunt secunda ac etiam, si necessitas postulaverit, tertia vice; quod si neque per tertium scrutinium electio habeatur, devolvitur ad S. Sedem, ad quam Episcopus (capituli praeses), omnia acta transmittere curabit; S. C. 24. Aug. 1887. Pro locis dissitis devolvitur ad Ordinarium, ubi capitulum celebratur, qui "tanquam Apost. Sedis delegatus pro suo arbitrio et prudentia eliget in rectorem (vel moderatricem) generalem unum (am) ex duobus (sive duabus) canditatis qui (quae) maioritatem suffragiorum prae aliis retulerunt." Ita S. C. d. 20. Aug. 1897 pro Missionariis S. Josephi Mexico.[2] Eiusdem fere distantiae ratio militat pro nostra regione. Ubi devolvitur ad S. Sedem, interim pro Instituti regimine vicarius ab Ordinario loci, ubi capitulum celebratur, constituitur; S. C. 21. Martii 1885.[3]

e) Si *Superiorissa in eodem munere eligatur,* confirmatur ab Antistite qui, ut supra, Capituli praesidentiam tenet. Pro secunda vero et ulterioribus confirmationibus, recurrendum erit ad S. Sedem; S. C. 25. Julii 1885.[4]

f) "*Praeses capituli* generalis, sive sit Rms. Ordinarius, sive eius commissarius, electiones legitime peractas debet illico in eadem aula capitulari confirmare, seu

[1] *Batandier,* p. 175.
[2] id. p. 179.
[3] ibid.
[4] id. p. 180.

potius, stricte loquendo, publicare;" S. C. 23. Aug. 1897.[1]

3. *De electione aliorum officialium.*

a) Immediate post electionem Superiorissae aliae officiales eligantur ordine sequenti: Assistentes, Secretaria generalis, Procuratrix generalis, Magistra Novitiarum.

b) Fit et harum electio per vota secreta; peracto infructuose tertio scrutinio, sufficiat maioritas relativa; S. C. 25. Jan. 1897.[2]

4. *De aliis negotiis capituli generalis.*

a) Peractis electionibus, ad *negotia graviora* Instituti procedatur; S. C. d. 22. Maii 1896.[3]

b) Eligatur ad hunc effectum *commissio specialis* scrutinio secreto et maioritate absoluta suffragiorum statim post electionem secretariae et scrutatricum; S. C. 19. Julii 1895.[4]

c) *Negotia graviora sunt* quae tangunt *universum Institutum* et indigent beneplacito Apostolico. Ista praeparentur a commissione supradicta, et definienda sunt a capitulo generali cum maioritate absoluta suffragiorum; S. C. d. 22. Maii 1896.[5]

d) *Decisiones capituli* generalis *non indigent approbatione Ordinarii*, neque irrevocabiles sunt, nisi decretum S. Sedis intercedat; S. C. eodem die n. 35.[6]

e) *Copia authentica* actorum capituli generalis (quo-

[1] *Batandier*, p. 182.
[2] id. p. 184.
[3] id. p. 185.
[4] id. p. 186.
[5] ibid.
[6] id. p. 187.

libet triennio celebrandi) transmittenda est ad S. Congregationem; S. C. 6. Dec. 1872; 30. Julii 1875.[1]

5. *De Qualitatibus, obligationibus et juribus Superioris generalis.*

a) *Qualitates*: *Aetas* 40 annorum et 8 annorum professionis requiruntur a Tridentino Conc.[2] pro Superiorissis eligendis et haec dispositio juris etiam pro Moderatrice generali tenet.[3] Aliquando etiam triginta quinque annos aetatis sufficere cum quinquennio professionis perpetuae concedit S. C. exceptionaliter; S. C. 19. Julii 1895.[4] Non solet concedi Episcopo ut ab aetate requisita pro Moderatrice generali possit dispensare; S. C. d. 11. Julii 1860.[5]

b) *Quoad obligationes:* *α*) *Non* est necesse, ut Superior *semper* resideat in *domo principe*, quae quidem pro toto Instituto est determinanda; S. C. 19. Aprilis 1888.[6]

β) Priorissa generalis, sive per se, sive per delegatam, *visitet* quolibet triennio omnes domos Instituti; S. C. 22. Dec. 1896.[7] In visitationibus sumat secum sociam itineris; S. C. 29. Martii 1889.[8]

γ) Obligatio incumbit Moderatrici generali *transmittendi* quolibet triennio *relationem* ad S. Congregationem de statu Instituti quoad personas, observantiam, domos, novitiatum et administrationem; S. C. 12. Julii 1861.[9]

[1] *Batandier*, p. 187.
[2] sess. XXV. de Regg. c. VII.
[3] *Bizz.* p. 793. n. 5.
[4] *Batandier*, p. 189.
[5] *Bizz.* 704. n. 5.
[6] *Batandier*, p. 191.
[7] id. p. 193.
[8] id. p. 194.
[9] *Bizz.* 793. n. 10.

c) Quoad *jura* sive *potestatem Superioris* generalis. Huc praesertim spectat quae Const. *Leonis XIII* "Conditae" d. 7. Dec. 1900 constituit.[1]

α) *Praesidum sodalitatum partes sunt:* candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, integra tamen Episcopi facultate a Synodo Tridentina[2] tributa, ut cum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio imploret (P. II. c. I).

β) Eorum est similiter familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecunque ex Instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet (ibid.).

γ) Penes Moderatorem supremum item, maximamve Antistitam eorumque consilia esse debet bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio; singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro Instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere (ibid. n. IX).

δ) Licet ei (Moderatori generali) in casibus particularibus, ad breve tempus—non vero pro semper—dispensare super aliqua observantia Constitutionum, S. C. d. 2. Martii 1894;[3] nec potest pro semper, etiamsi consensus consilii generalis accesserit; S. E. E. et R. R. 22. Aug. 1863.[4]

[1] *Analecta Eccles.* 1900, p. 482 sq.
[2] sess. XXV. d. Regg. c. 17.
[3] *Batandier*, p. 202.
[4] ibid.

ε) Notandum demum *quae potestatem Superioris generalis excedant:*

αα) "Superior generalis universi Instituti nequit habere gubernium immediatum alicuius provinciae aut domus;" S. C. d. 12. Aprilis 1888.[1] Superiorissa generalis simul esse non potest superiorissa localis domus generalitiae, sed distincta omnino esse debet; S. C. d. 30. Julii 1897.[2]

ββ) Non licet Moderatrici generali sedem principem transferre absque licentia S. Sedis; S. C. 24. Aug. 1887.[3]

γγ) "Superior generalis nequit delegare habitualiter suas facultates illasque revocare pro libitu, nec vicarium nominare, qui ei succedat post obitum donec successor eligatur, sed tantum pro rerum adjunctis precarie aliquid committere alicui poterit 'de voto tamen suorum adsistentium';" S. C. 9. Sept. 1892.[4]

δδ) "Res periculi plena est relinquere arbitrio Superiorissae generalis eiusque consilii jus concedendi vocem activam et passivam;" S. C. 10. Martii 1860.[5]

εε) "Non convenit quod Superiorissa generalis vocetur Reverendissima Mater proposita;" S. C. d. 30. Julii 1897.[6] Haud approbandum est ut Moderatrix generalis, quando discedit, benedictionem in ecclesia impertiatur; S. C. 9. Maii 1860.[7]

d) Quoad *depositionem Superioris generalis.* Si qua Superiorissa generalis graviter culpabilis in regimine

[1] *Batandier*, p. 201.
[2] ibid.
[3] ibid.
[4] id. p. 203.
[5] *Bizz.* p. 77. n. 6.
[6] *Batandier*, p. 206.
[7] *Bizz.* p. 700. n. 4.

Instituti inveniatur, ita ut consilium generale necessarium ducat, illam deponendam esse, ante omnia casum referent S. Sedi. Acta mittantur proin ad S. Congregationem in singulis casibus; S. C. d. 27. Sept. 1861.[1]

6. *De consilio generalitio.*

1. *Consilium generale assistit* Superiori generalitio in negotiis maioris momenti peragendis. Votum eius est, non solum consultativum, sed deliberativum, quod omnino obligat Superiorissam generalem; S. C. 18. Dec. 1887.[2]

2. *Negotia,* pro quibus evolvendis votum consilii generalitii requiritur, sunt praesertim sequentia:

a) Admissio ad habitum et professionem, sive ad tempus sive perpetuam.

b) Erectio novarum domuum, novitiatus et provinciarum, et suppressio domuum cum licentia S. Sedis.

c) Nominatio officialium, de quibus capitulum non disposuit.

d) Prorogatio officii Superiorum localium, quorum administrationis tempus expiravit.

e) Dimissio postulantium, novitiarum et professarum (cum licentia requisita).

f) Depositio consultatricis (cum Sedis Apost. licentia), Magistrae Novitiarum et Superioris localis durante triennio officii.

g) Nominatio Visitatricis, casu quo Superiorissa

[1] *Bizz.* p. 794. n. 8; p. 777. n. 16.

[2] *Batandier*; p. 208.

impeditur, indicatio loci capituli generalis, mutatio sedis principis (ista ult. cum S. Sedis licentia).

h) Supplere officium Consultatricis usque ad proximum capitulum, si illa e vita decesserit vel incapax facta fuerit.

i) Approbatio rationum redditarum tum totius Instituti tum singularum domorum.

k) Alienatio bonorum immobilium vel mobilium pretiosorum.[1] *Quoad alienationem* insuper notandum est, quod et Congregationes subjacent Constitutioni "Ambitiosae" Pauli II, 1468. At cum valor pecuniae sat imminutus sit, S. C. non duxit superfluum summam quandam figere, supra quam alienatio absque S. Sedis licentia fieri nequit. Ad alienationem bonorum immobilium vel mobilium pretiosorum, ad contrahenda debita notabilia excedentia libellas 10000, ad donandas aut immutandas syngraphas vel titulos proprietatis bonorum quorumcunque repraesentantes, praehabito consensu consilii generalitii, recurrendum erit ad S. Sedem pro beneplacito Apostolico; S. C. 17. Junii 1897.[2]— At etiam hic, summam $5000 (scutatorum) non excedentem pro Americae regionibus juxta supra dicta, non putamus indigere beneplacito Apostolico, sed sufficere consensum Capituli et licentiam Ordinarii.

3. *Consilium generalitium residentiam* habet in domo principe; S. C. d. 8. Sept. 1896;[3] i.e. penes Superiorissam

[1] cf. *Batandier*, p. 209; quoad citationes ex animadversionibus S. Congregationis ibid. et sq. pagg.

[2] id. p. 213.

[3] id. p. 219.

generalem, ideoque exercere nequeunt officium Superiorissae localis extra domum in qua Superiorissa generalis commoratur; S. C. 27. Junii 1870.[1]

4. Consilium generalitium consistit ex 4 assistentibus, inter quas prior electa primum locum tenet; nec Magistra Novitiarum, Oeconoma generalis, Superiorissa localis connumerare queant; S. C. 25. Aprilis 1896.[2]

5. Aetas pro assistentibus (sicut et pro Magistra Novitiarum et Oeconoma) erit ad minus triginta quinque annorum et quinque professionis; S. C. 10. Febr. 1893; 16. Junii 1876.[3]

6. Obligatio consilii generalitii est adjuvare Superiorem in regimine et administratione Instituti et revera cum Superiore concurrere ad decisiones edendas; S. C. 12. Aprilis 1888.[4]

§ 2. *De relatione Congregationum ad extra.*

Relatio ista respicit praesertim Ordinarium, confessarios et extraneos, inter quos posteriores enumerandi veniunt praesertim alumni, qui Institutis educandi traduntur, parochus et Cardinalis Protector.

1. *Quoad Episcopum.*

a) "Non solet ab Apost. Sede approbari, ut Institutum, quod in plures dioeceses diffusum est, subiciatur Episcopo uti Superiori generali cum praejudicio jurisdictionis aliorum," S. C. d. 24. Sept. 1860;[5] 6. Junii 1860;[6]

[1] *Batandier*, p. 219.
[2] id. p. 221.
[3] id. p. 219 sq.
[4] id. p. 221.
[5] *Bizzarri*, Collect. p. 788. n. 1.
[6] id. p. 781. n. 6.

30. Aprilis 1860.[1] Regula generalis a S. Congregatione adoptata in approbatione alicuius Instituti est: "Salva Ordinariorum jurisdictione ad praescriptum ss. canonum et Apostolicarum Constitutionum," S. C. 10. Martii 1860;[2] 9. Maii 1860.[3] Porro ista regula magis stabilitur per jam citat. Const. *Leonis XIII* "Conditae," ex qua promere juvat sequentia:

b) "Regimen quod penes moderatores est, sive sodalitatis universae sive familiarum singularum, ad Constitutionum [sc. Instituti] normam Episcopis mutare aut temperare non liceat." P. II. n. II.

c) Item non tenentur rationem reddere de administratione bonorum, quibus sodalitia singula potiantur. Si vero legata vel donationes recipiunt ad Dei cultum beneficentiamve, de his redduntur obnoxia reddendae rationis Episcopo (ibid. n. X).

d) "Episcoporum sunt jura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitare, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare."

e) *Quoad clausuram* vide supra art. IV. 2. *b*.

f) In *foro autem externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem, quae non sint uni Summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes con-

[1] *Bizzarri*, p. 780. n. 5.
[2] id. p. 77. n. 13.
[3] id. p. 780. n. 5.

cessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

g) *Ordinandi ad s. ordines* debent proponi a moderatoribus cum litteris testimonialibus et dimissoriis; titulo ne careant vel eo legitime eximantur. Huc spectat "Auctis admodum" d. 4. Nov. 1892 (ibid. n. VI).

h) In sodalitates, *quae mendicato vivunt*, ea Episcopis stent jura, quae habet decretum "Singulare quidem" S. C. E. E. et R. R. d. 27. Martii 1896.[1] Jamvero, quae hoc decreto pro sororibus (cum votis simplicibus) quaerentibus eleemosynas statuuntur sunt haec:

α) "Non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae;" n. II.

β) Si extra dioecesim colligere velint, Ordinarii illius dioecesis licentia obtineatur; n. III.

γ) Sed haec duplex licentia minime requiritur pro accipiendo sponte oblatas vel etiam litteris sollicitatas eleemosynas; n. IV.

δ) Ordinario constare debet de vera necessitate domus vel pii operis, et quaeritationem per alios commode fieri non posse; n. V.

ε) Licentia detur gratis et in scriptis, legibus, si quas velit praescribere, impositis. Litterae commendatitiae vel commissoriae ad parochos inserantur; n. VI.

ζ) "Quisque loci Ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eaedem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint;" n. VII.

[1] *American Eccl. Review*, 1896, p. 555.

η) Colligentes mittantur binae, aetate et animo maturas; intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim non ultra 2 menses morentur; n. VIII.

i) In iis quae *ad spiritualia pertinent,* subduntur Episcopis dioecesium. Horum igitur erit sacerdotes ipsos et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; "Conditae" n. VIII.

k) *Gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla* pueris erudiendis, *Episcopali vigilantiae subsint* quoad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen manentibus privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apost. sunt tributa; n. X.

l) *Templa, sacraria, oratoria publica, poenitentiale* Episcopi jus visendi habent. Item disciplinae, probitati morum, clausurae et frequentiae Sacramentorum (tempore) invigilabunt; n. XI.

Haec fere stabiliunt sat clare relationem Ordinarios inter et Congregationes quae jam ab Apostolica Sede vel laudis vel approbationis decretum, sive pro Constitutionibus sive pro ipsis Institutis receperunt.

2. *Quoad confessarios:*

a) Postulantes, novitiae, professae, confessionem sacramentalem semel in hebdomada ordinario peragent; S. C. 17. Junii 1897; 2. Aprilis 1897; 23. Aug. 1897.[1]

b) Iste confessarius *ordinarius,* approbatur ab Epis-

[1] *Batandier,* p. 121.

copo, et jus nominandi vel proponendi confessarios non solet attribui monialibus ipsis; S. C. 1. Sept. 1860;[1] 10. Martii 1860.[2]

c) Concedendus est etiam *extraordinarius* bis vel ter per annum juxta Const. Benedicti XIV "Pastoralis curae" d. 15. Aug. 1748, cuius textui S. Congregatio semper insistit; S. C. 10. Martii 1860;[3] 30. April 1860;[4] 9. Maii 1860;[5] 6. Junii 1860.[6] Isti confessarii tum ordinarii tum extraordinarii deputandi erunt ab Episcopis respectivis; S. C. 23. Julii 1860;[7] ergo non a solo Episcopo ubi domus generalitia est; nec a delegato Episcopi vel Directore spirituali (qui non conceditur cf. supra, p. 369).

d) *Officium confessarii ordinarii* ad triennium perdurat, et pro eiusdem confirmatione ad aliud triennium requiritur licentia S. Sedis; S. C. E. E. et R. R. 5. Aug. 1865;[8] et hoc vel exprimendum est in Constitutionibus; S. C. 16. Junii 1876.[9]

e) Confessarius ordinarius *se ingerere minime* debet Instituti *administrationi;* S. C. 13. Aug. 1887.[10]

f) *Confessario non licet restringere communiones* faciendas, si certus numerus istarum communionum in Constitutionibus statuitur, quia "statuta circa communionem sunt praeceptiva," S. C. E. E. et R. R. respondit in Burdigalensi d. 4. Aug. 1884.[11] Nam si

[1] *Bizz.* p. 788. n. 1.
[2] id. p. 777. n. 5.
[3] ibid.
[4] id. p. 780. n. 8.
[5] id. p. 780. n. 3.
[6] id. p. 782. n. 16.
[7] id. p. 786. n. 13.
[8] *Batandier*, p. 122.
[9] ibid.
[10] id. p. 125.
[11] id. p. 129.

confessarius absque rationabili et gravi causa—inter quas quaedam incommoditas Confessarii certe non est enumeranda—communiones restringere liceret, ipsi plus juris esset, quam Episcopo, cum Constitutiones circa aliquid mutare ipsi liceret. Unde si in Decreto "Quemadmodum" d. 17. Dec. 1890 dicitur permissionem vel prohibitionem ad S. Synaxim accedendi spectare ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium (n. 13), hoc intelligendum est per se de frequentiori quam statuto accessu, uti etiam sequitur ex n. 14 eiusdem decreti.[1]

Nullo modo vero *prohibitio* vel *permissio recipiendi S. Com. spectat ad Superiores* excepto casu, quo aliquis ex subditis post ultimam confessionem sacramentalem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.[2]

g) Huc facit etiam decretum S. C. O. d. 5. Julii 1899, quod quidem immediate (Almam Romam Urbem) respicit dumtaxat. At directivam vim habet etiam pro aliis. Hoc decretum "districte prohibet ne ullus cuiusquam Religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentalem Confessionem audire ullo pacto audiat." Et ratio est periclitatio integritatis confessionis, ut idem decretum dicit.[3]

[1] Decret. apud. *Batandier*, p. 250 sq.

[2] "*Quemadmodum*," n. 13.

[3] *Archiv für Kirchenrecht*, 1900, p. 144.

h) *Facultates quibus confessarius ordinarius et extraordinarius gaudent,* sunt eae quae ipsis conceduntur ab Episcopo illos approbante et deputante uti constat ex Const. *Leonis XIII* "Conditae" cit. P. II. n. V. Nec possunt regulares, si confessarii constituuntur talium Congregationum, uti propriis facultatibus. Patet ex eo, quod Poenitentes subsunt potestati Episcopi.

3. Quoad *extraneos.* Hic agendum est praesertim de fine secundario alicuius Instituti—primarium nempe semper debet esse servitium Deo exhibendum et propria membrorum sanctificatio—qui varia amplectitur charitatis christianae opera, uti est educatio juventutis, cura orphanorum et infirmorum, etc. Porro *regulae quas proponit S. Congregatio* generatim, sunt ferme hae:

a) *Ne nimis varia* sint pia opera, quibus Institutum vacare intendit; S. C. 29. Martii 1875.[1] Insuper magis determinata sint ista opera; S. C. E. E. et R. R. d. 2. Januarii 1862.[2]

b) Praesertim *sexus separatio* observetur, unde non solet approbari a S. Sede cura puerorum et infantium masculini sexus a sororibus praestanda; S. C. eodem die. Si utilis et necessaria invenitur istorum cura, habeatur recursus ad S. Congregationem; S. C. E. E. et R. R. 17. Maii 1865.[3]

c) Sorores *non* occupentur *cura infantium,* qui in cunis habentur, cum non conveniat sacris Virginibus; S. C. d. 17. Julii 1860.[4]

d) Huc etiam spectat *introductio sororum* (tanquam

[1] *Batandier,* p. 46.
[2] ibid.
[3] ibid.
[4] *Bizz.* p. 706. n. 1.

famularum) in *Seminaria et Collegia*, quae declaratur a S. C. (d. 6. Junii 1860) "res periculi plena."[1]

e) Tandem quoad *educationem juventutis*, decretum S. C. O. d. 6. Dec. 1899,[2] respicit *puellas acatholicas* et statuens, eas nullo modo posse in Instituta educandas recipi tanquam internas. Pro externis "recurrant in singulis casibus (ad S. Sedem), semper exceptis apostatarum filiabus." Conditio additur "modo absit quodvis perversionis periculum catholicarum alumnarum." Idem insuper adhibeatur modus agendi cum acatholicis ac cum catholicis, relate ad discendum catechismum, ad ecclesiasticis ceremoniis interessendum, etc.; ibid.

4. Quoad *Parochum*. Hic imprimis notandum quod "Institutum (Congregatio religiosa) ita sub jurisdictione Episcoporum erit, ut sarta tectaque simul serventur parochorum jura;" S. C. d. 27. Sept. 1861.[3] Ex quo oritur quaestio, *quaenam parochus possit exercere* jura in tales congregationes. Ista fere sunt:

a) Potest divina agere (Missam celebrare, benedictiones, e.g. candelarum et cinerum) in oratorio publico alicuius Congregationis religiosae et quidem ita, ut alius Sacerdos absque litteris Episcopi commendatitiis vel parochi licentia, Missam ibi celebrare non permittatur. Nequit vero, etiamsi oratorium earum non est publicum, sorores vel etiam famulas earundem cogere vel obligare ut Missarum celebrationi diebus Dominicis et festis de praecepto assistant in ecclesia parochiali, si

[1] *Bizz.* p. 782. n. 15.
[2] *Analecta Eccles.* Januar. 1900, p. 5.
[3] *Bizz.* p. 794. n. 2.

aliter praecepto satisfacere possint.[1] Potest utique, quod generatim fit, capellanum vel confessarium Instituti delegare ad divina peragenda;[2] saltem si Episcopus nihil aliud statuerit.

b) Parochi juris est *viaticum* et *extremam unctionem* sororibus (et puellis) et fratribus (pueris educandis) administrare, item tales visitare [3] cautelis praescriptis, (quoad sorores requiritur ut 2 sorores illum comitentur, si intra clausuram debet intrare; S. C. 22. Martii 1897[4]).

c) *Jus sepulturae* item parocho inest,[5] tum quoad sorores,—Tertiariae S. Francisci possunt in coemeteriis Franciscanorum sepeliri[6]—tum quoad educandos vel educandas.[7]

d) Ast ne sibi confessarii jura vel administrationem parochus usurpet, nam ut hisce sese ingerat nullum jus ipsi competit.

5. Quoad *Protectorem Cardinalem.* Talis datur in Urbe, non vero extra, Congregationibus, si petant; cui quaedam dumtaxat, quae respiciunt Institutum in genere committuntur, ne jurisdictio Ordinariorum coërceatur; S. C. 10. Martii 1860.[8] Habet ergo supremam potestatem domesticam et jurisdictionalem, nomine Pontificis ad totum corpus, non vero singula Instituta

[1] *Bened. XIV*, de Synodo dioec. l. XI. c. 14.
[2] *Schels*, Frauengenossenschaften, Schaffhausen 1857, p. 238.
[3] ibid.
[4] *Batandier*, p. 126.
[5] *Schels*, l. c.
[6] *Schuppe*, l. c. p. 65.
[7] cf. *Aichner*, p. 499.
[8] *Bizz.* p. 777. n. 12.

vel personas congregationis. Tuetur ac defendit Congregationem totam, et si quae controversia ipsam inter et Episcopum oriatur, eam dirimit.

Porro patet quae hic (sub § 2) dicta sunt referre ad sodalitia non dioecesana. Nam instituta dioecesana, quorum leges Apostolica Sedis nec recognovit nec ipsum institutum commendavit aut approbavit (cf. "Conditae"), subesse omnimodae jurisdictioni, correctioni, visitationi et voluntati Ordinariorum, qui hac in re Constitutionem Leonis XIII "Conditae" consulere possunt, omnino est certum.

Articulus VI.

De egressu e Congregationibus.

1. Facilius *conceditur transitus* ex congregationibus ad proprium regularium statum, conditionibus et causis rationabilibus suppositis.

2. *Dimissio non potest* fieri ex infirmitate contracta post professionem, quia adversatur charitati, et etiam justitiae si agatur de sororibus, quae vota perpetua emiserunt; S. C. d. 10. Martii 1860.[2]

3. "Sorores votis temporaneis vel perpetuis obstrictae, quamvis a conciliis generalitiis Instituti *dimissae, indigent dispensatione apostolica* ut a votis solvantur; S. C. 22. Sept. 1896.[3] Non idem dicendum est de Institutis

[1] *Aichner*, l. c.

[2] *Bizz.* p. 777. n. 10.

[3] *Batandier*, p. 105. Praesertim hoc valet de voto perseverantiae; S. C. ibid.

ab Episcopis dumtaxat approbatis, quoad quorum vota Episcopus gaudet potestate ab illis dispensandi.[1] (Ergo quoad instituta dioecesana.)

4. *Dimissio* (vel ejectio) *non potest fieri absque culpa gravi* et *externa*, cum incorrigibilitate connexa, ut constat ex decreto "Auctis admodum." Et quoad professos in sacris constitutos requiritur insuper processus formalis, uti constat ex decreto citato.

5. Quid *de dote allata* egredientis? Ex quadam decisione S. C. E. E. et R. R. an. 1772 sequentia concludi possunt:

a) Dependet imprimis a Constitutionum circa dotem statutis.

b) Si silent hac de re, S. C. decidet, quando dispensatio (votorum in Instituto ab Apost. Sede approbato) petitur.

c) Demum si nihil quoad perseverantiam dicitur in Constitutionibus, *dependet a contractu.* Tenendum tamen est, sustentationis expensas esse reparandas, etiamsi dos refundatur a Congregatione religiosa.[2]

6. Quoad *alia bona.* Ante professionem cedere debent bonorum administrationem et usum (non vero dominium radicale, quod nec possunt), quibus eis placuerit, ac etiam suo Instituto, si ita pro earum libito existimaverint. Haec vero cessio vim amplius non habebit in casu egressus ab Instituto; S. C. d. 12. Julii 1861.[3] Unde ex hoc concludi licet omnia bona, sive ex intestato sive a testato vel quoquo modo advenientia membris

[1] *Batandier*, p. 104.
[2] *Schuppe*, p. 128.
[3] *Bizz.* p. 793. n. 8.

talium Congregationum, in egressu ab ipsis repeti posse et Institutem obligari ad refundenda ipsa. At si legislatio civilis intervenerit, quid tunc? Dependet a natura instrumenti vel documenti, quod juxta normas legum civilium confecerunt. Unde potest fieri ut Institutum juxta leges civiles bona illa possit retinere; sed consulant potius leges ecclesiasticas.

Haec fere sunt quae juxta Jus Regularium commune essentialia et scitu digna nobis videntur. Observatio legum ecclesiasticarum fuit semper—et erit—optima regularis disciplinae procuratrix, fulcimen Superiorum auctoritatis, vitae religiosae ligamen.

APPENDIX.

APPENDIX.

I.

Ex Collectanea Card. Bizzarri, p. 831 *sq.*

DECRETUM "ROMANI PONTIFICES."

S. C. super statu Reg. auctoritate Pii P. P. IX. editum de testimonialibus Ordinariorum litteris requirendis in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant.

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum Postulantes reciperent, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antis-

titibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae veteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens SSmus. D. N. Pius P. P. IX., audito voto S. R. E. Cardinalium huius Sacrae Congregationis super statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit:

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii Originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae

alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti observantia districte praecipitur: et qui contra huius decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex Sacra Congregatione super Statu Regularium die 25. Januarii 1848.

Andreas Can. Bizzarri a Secretis.

II.

Ex "Analecta Ecclesiastica," Maius 1902, *p.* 204 *sq.*

DECRETUM "PERPENSIS"

e S. C. E. E. et R. R. de votis simplicibus, votis solemnibus a monialibus praemittendis.

Perpensis temporum adiunctis, attentisque peculiaribus casibus, qui ad S. Sedem haud raro deferuntur, nec non postulatis sacrorum Antistitum, visum est huic S. Congregationi Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae non esse ulterius cunctandum super quaestione iampridem proposita: an scilicet et quomodo expediat praescribere, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia vota nuncupantur, praemittantur solemnibus vota simplicia ad certum tempus duratura. Re itaque mature perpensa ac discussa, in conventu plenario habito in aedibus Vaticanis die 14. Martii 1902, praefati Emi ac Rmi Patres S. R. E. Cardinales censuerunt: supplicandum esse SSmo Domino Nostro

Leoni Divina Providentia P. P. XIII., ut ad moniales votorum solemnium extendere dignaretur, iuxta congruum modum, ea quae salubriter constituta fuerunt a fel. rec. Pio P. P. IX. pro religiosis virorum familiis, per encyclicas litteras S. Congregationis super Statu Regularium, incip. Neminem latet, datas die 19. Martii 1857, et per litteras sub Annulo Piscatoris, incip. Ad universalis Ecclesiae regimen, datas die 7. Februarii 1862, cum subsequutis respective declarationibus.

Porro Sanctitas Sua, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali praedictae S. Congregationis Praefecto die 3. Maii 1902, audita de praemissis relatione, sententiam praelaudatorum Patrum Cardinalium probavit, mandavitque per huiusmet S. Congregationis decretum edici praescriptionum capita, quae infra scripta sunt, perpetuo inviolateque servanda:

I. In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et legum Ordinis seu Instituti a S. Sede approbatarum, novitiae vota simplicia emittant, postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam vel aliam maiorem, quae forsan a constitutionibus proprii Ordinis vel Instituti a S. Sede approbatis requiratur.

II. Huiusmodi professae post expletum triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si dignae reperiantur, ad professionem votorum solem-

nium admittantur: sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

III. Firma tamen in suo quaeque robore manere declarantur indulta a S. Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

IV. Praeterea ex iustis et rationabilibus causis de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suae iurisdictioni subiectis et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quae exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum.

V. Vota simplicia uti praefertur, emissa perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

VI. Professae istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur et gaudent professae votorum solemnium proprii cuiusque monasterii, et quatenus morte praeveniantur ad eadem respective suffragia ius habent.

VII. Eaedem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum non secus ac solemniter professae; itemque tenentur choro interesse: quatenus vero legitime

impediantur quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

VIII. Tempus a constitutionibus cuiuslibet Ordinis seu Instituti praescriptum ad vocem activam et passivam assequendam a die emissionis votorum simplicium computatur: verumtamen professae votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eaeque deputari quidem poterunt ad minora coenobii officia; sed ad munia Superiorissae, Vicariae, Magistrae novitiarum, Assistentis seu Consiliariae, et Oeconomae eligi nequeunt.

IX. Potiores iure, utpote seniores, censentur quae prius vota simplicia nuncupaverint; ita tamen ut quaecumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, recepturae iterum iura ratione prioris professionis quaesita ubi primum vota solemnia et ipsae emiserint.

X. Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

XI. Professae votorum simplicium retinent radicale suorum bonorum dominium, de quo definitive disponere non poterunt, nisi intra duos menses proxime praecedentes professionem solemnem, ad normam S. Concilii Tridentini Sess. XXV, de Regular. et Monial., cap. XVI.—Omnino vero interdicta ipsis est eorundem bonorum administratio, nec non quorumcumque red-

dituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini seu monasterio, quatenus ex huius parte nihil obstet et ipsae plena libertate id opportunum existimaverint.—Quod si durante tempore votorum simplicium alia bona legitimo titulo eis obvenerint, eorum quidem dominium radicale acquirunt, sed administrationem, usumfructum et usum cedere quamprimum debent ut supra, servata etiam lege non abdicandi dominium radicale nisi intra duos menses proximos ante professionem solemnem.

XII. Ad dimittendas e monasterio praefatas votorum simplicium professas, recurrendum erit, in singulis casibus, ad S. Sedem, distincte exponendo graves causas, quae dimissionem suadere seu exigere videantur.

XIII. Sorori professae votorum simplicium a monasterio discedenti sive ob votorum dispensationem a Sancta Sede Apostolica impetratam, sive ob decretum dimissionis ut supra emissum, restituenda erit integra dos quoad sortem, exclusis fructibus.

Igitur haec S. Congregatio de expressa Apostolica Auctoritate, praesentis decreti tenore, quaecumque superius praescripta, declarata ac sancita sunt, ab omnibus, ad quos seu quas spectat, ex obedientiae praecepto servari et executioni demandari districte iubet, non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus ad

praemissorum effectum a Sanctitate Sua specialiter et plene derogatum esse declarat.[1]
Datum Romae die 3. Maii 1902.

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praef.*
Ph. Giustini, Secret.

[1] Hoc decreto non potuimus uti ex toto in tractatu ipso ratione temporis quo ad nos pervenit. Quapropter prudens lector discernet si quae forte minus recte proposita fuerint quoad monialium vota.

III.

Ex "Analecta Ecclesiastica," Dec. 1900, *p.* 481 *sqq.*

CONSTITUTIO "CONDITAE"

Sanctissimi Domini nostri Leonis divina providentia Papae XIII de Religiosorum Institutis vota simplicia profitentium.

Leo Episcopus

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur.—Duplex porro earumdem est ratio:

aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea Romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere.— Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum Canonum et Apostolicarum constitutionum.*— Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac re-

gimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eâdem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis.—Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est, alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem non dum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit: si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episco-

pus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile.—Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis.—Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent.—Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sace dotibus, qui Sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio.—Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo,

tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a con-

cionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (n. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integra tamen Episcopi facultate a Synodo Tridentina tributa,[1] ut quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet.—Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula* et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae

[1] Sess. XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.

sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponatur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus* sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant,

vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.[1]

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem* a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.[2]

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsos et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam Constitutionis *Pastoralis curae* a Benedicto XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum* dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint

[1] cf. Anal. Eccl. Vol. I. pp. 10, 42, 92, 144, ubi praeter Decreti textum, habetur praeclarum illius commentarium. *N. D.*

[2] cf. Anal. Eccl. Vol. IV. p. 103.

ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi.—In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia

suscipiantur.—Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat: illico moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta.—Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius Sodalitatis legibus a Romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auc-

toritate vel praetextu scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembres, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI-MASELLA *Pro-Dat.*

A. Card. MACCHI.

VISA.

De Curia I. DE AQUILA *e Vicecomitibus.*

Loco ✦ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CVGNONIVS.

IV.

DECRETUM "QUEMADMODUM" JUSSU LEONIS XIII

a S. C. E. E. et R. R. editum d. 17. *Dec.* 1890.

(Debet legi semel in anno in domibus Congregationum Religiosarum.)

1. Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

2. Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad eges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae

unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit.

3. Itidem in Constitutionibus ad tramitem S. S. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant.

4. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubito permiserint, vel omnino interdum prohibuerint.

5. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandem fovendamque salutariter ac sapienter constitutae jam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

6. Quare SSmus. D. N. Leo divina providentia Papa XIII pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus

praepositae die decimaquarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

7. I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt.

8. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus, praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

9. II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

10. III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

11. IV. Praeterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in Sess. 25, Cap. 10. de Regul., et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quae incipit *Pastoralis curae*, Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent.

12. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

13. V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandulo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

14. VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire indicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit.

15. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius indicio acquiescendum omnino erit.

16. VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

17. VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

18. Et ita Sanctitas sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Con-

gregationis Episcoporum et Regularium die 17. Decembris 1890.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

L. ✦ S.

Fr. ALOYSIUS, *Episc. Callinicen., Secretarius.*

V.

Ad p. 35. Quoad requisitum indultum Apostolicum pro erigendis domibus religiosis in terris Missionum.

DECRETUM S. C. DE PROPAGANDA FIDE d. 7. DEC. 1901.

(*Ex "Archiv für Kirchen-Recht,"* 1902, *p.* 361.)

Illme ac Rme Domine.

Quamvis probe sciat haec S. Congregatio de Propaganda Fide, ingentem provenire missionibus utilitatem ex ministerio Regularium, uti ut maxime in votis sit videre eorum domus ubique institui, curandum tamen est, ut res ordinate et ad praestitutae disciplinae normam peragantur. Quamobrem duxit S. Congregatio per praesentes litteras in memoriam ordinariorum locorum a se dependentium revocare sententiam, quam ut communem hodie et cui favet passim rerum indicatarum auctoritas, tradit Constitutio SSmi. D. N. Leonis XIII, quae incipit "Romanos Pontifices," nempe: non licere regularibus, tam intra quam extra Italiam nova monasteria aut conventus sive collegia fundare, sola Episcopi venia, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri. Cui legi cum aut semper aut ubique obtemperatum non fuisse videatur,

ideo eius observantiam voluit S. Congregatio per praesentes urgere. Diligenter ergo in posterum abstineant Ordinarii omnes Sacrae Congregationi subiecti a licentia danda religiosis Institutis domum aperiendi in territorio propriae iurisdictionis, absque venia prius a praefata S. Congregatione obtenta. Quod vero attinet ad domos religiosas huc usque in iisdem territoriis, S. Congregatione inconsulta, forte erectas, etsi haec ordinariis flagitantibus, singulisque ponderatis casibus, propensa omnino sit ad legitimas habendas huiusmodi fundationes tamen mandat ut de praedictis si quae existant domibus, distinctus ab Ordinariis exhibeatur elenchus, ac simul pro iisdem canonica ratihabitio per supplicem libellum petatur.

Interim Deum precor ut Te diu sospitet.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide die 7. Decembris 1901.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus,

Miecilaus Card. Ledochowski, *Praefectus.*

Aloisius Veccia, *Secretarius.*

INDEX RERUM ALPHABETICUS.*

(Numerus in alto juxta alium positus indicat notam ad calcem pag. resp.)

Abbas quoad admissionem novitiorum, 59, 90 sqq.; eius praecepta, 128; nomen et officium, 170, 174; titularis quoad aetatem requisitam, 185; benedictionem Abbatis, 209; commendatarius, 219 sq.; "Nullius," 221, 295; quoad ordines minores suis subditis conferendos, 255 sq. (cf. *Praelatus, Superior*).

Abbatissa quoad obedientiam ipsi debitam, 128; clausuram, 165; eius electionem, 210 sq.; qualitates requisitas, ibid.; benedictionem, 213.

Abdicatio bonorum perfecta, 95.

Abrogatio consuetudinis, 15.

Absentes capitulares quoad electionem, 170.

Absolutio novitiorum, 80 sq.; ante electionem impertienda, 194; privilegia regg. quoad ab. a censuris, 333.

Abusus potestatis saecularis in electione, 191, 206.

Accessus ad moniales, 166 sqq.; in electione Abbatum et Abbatissarum, 202 [6].

Acquisitio bonorum temporalium, 301 sq.; privilegiorum, 309.

Actores (in judicio) non possunt esse regulares, 248.

Actus internos praecipere potest Superior, 132.

Administratio SS. Euch., 281 sq.; Extremae Unctionis, 294; bonorum regularium temporalium, 302; monialium, 303; Instituti relig. non competit confessario, 391.

Admissio novitiorum, 50 sqq.; quorumnam, ibid.; cui competat, 58 sq.; requisita pro adm., 60 sqq.; ad Congregationes relig., 368.

Admonitio canonica in expulsione, 356.

Aegroti excusantur a choro, 139.

Aetas pro ingressu in Religionem (hist.), 43 sq.; ex jure hodierno, 53; defectus aetatis, 56; quoad moniales, 57, 107; professionem, 84; reclamationem contra prof., 98, 105; electionem ad praelaturam, 185; confessarii ordinarii, 209 sq.; Superiorissae, 382; Assistentium et Magistrae Novitiarum, 387.

Alienatio quid sit et quando prohibeatur, 304 sq.; quando indigeat beneplacito apost., ibid.; quando non indigeat, 305 sqq.; in Congregationibus relig., 386.

Altare in quo SS. Euch. asservari debet, 280.

Alumni collegiorum etc. quoad confessarium, 241 sq.; administrationem SS. Euch., 282; exemptionem, 323; sepulturam, 330.

Amentes quoad admissionem in Religionem, 50.

* Iste Index non se extendit ad appendicem.

Amissio privilegiorum, 314.
Aperitio conscientiae, 132, 374.
Apostasia non est egressus sine licentia, 154; a Religione, 360 sq.
Apostatae qui sunt, 360; poenae, 361; obligationes eorum, ibid.
Appellatio quoad nullitatem professionis, 105; ab inflicta poena, 250; ab interpretatione legum synodal., 322.
Approbatio Regulae, 23 sqq.; causa maior, 24; modus procedendi, 28; confessarii, 241 sq., 290, 292; requisita pro regg. ad audiendas confessiones saecularium, 283 sq.; methodus approbationis quoad Congregationes relig., 365 sq.
Asservatio SS. Eucharistiae in ecclesiis regg. et monialium, collegiis et seminariis, 274; in sororum oratoriis, 275 sqq.
Augustiniani, 11, 30, 31, 73.
Barnabitae, 23, 30, 74.
Benedictini, 11, 26, 30, 64, 75, 80, 106, 138, 151, 234, 253[3], 317[1], 331.
Benedictio Abbatum, 209; Abbatissarum, 213; rerum s. Praelatis competit, 254.
Beneficium renuntiatum a novitio, 79 sq.; in voto paupert. non includitur, 117; definitio et divisio, 264 sq.; quando saecularisati tale obtinere possint, 347.
Bibliotheca est mobile pretiosum, 307.
Bona temporalia Ordines possidere possunt, 300; exceptis quibusdam, ibid.; transeuntis ad aliam Relig., 351; monasterii suppressi, 353; de quibus novitii (ae) disponere possunt ante prof., 369; restitui in egressu, 397 sq.
Breviarium quoad regulares, 140; moniales, 141.
Calendarium sequendum regularibus, 140; monialibus, 141; sororibus relig., 145.
Camaldulenses eremitae, 17.
Capitulum regg., 257 sqq.; eius consensus requiritur in alienatione, 307; generalitium Congregationum relig., 377 sqq.
Capuccini, 96, 243, 300.
Carmelitae, 30, 31, 65.
Carnis esus, 138.
Castitas ex voto simpl., 21; ex voto sol., 22.
Casus reservati, 237; quoad regg., 237 sq.; Conscientiae proponendi in conventibus, 262 sq.; quoad saeculares personas, 286; in quibus regulares Epo. sunt subjecti tanquam Ordinario, 323; tanquam Delegato Apostolico, 327.
Cathedraticum solvendum a regularibus, 334 sq.
Causae excusantes ab observantia Regulae, 137; ab officio divino, 139 sq.; a clausura eximentes, 161; fidei non possunt cognoscere Superiores regg., 325; quaenam sint causae fidei, 326; justae transitus ad aliam Religionem, 348.
Censura varia, 235 sq.; dispensatio, 236 sq.; librorum subjacet Ordinario, 324.
Censurati quoad electionem, 179, 188.
Chirurgia interdicitur regularibus, 150.
Cistercienses, 64, 220, 256 sq., 317[1].
Clausula quoad consuetudinem, 14; in revocatione privilegiorum, 314 sq.
Clausura, 151 sq.; virorum, 152 sq.; eius obligatio, 155; papalis et episcopalis, 160; sororum, 374 sq.
Clericus ingredi potest Religionem, 53; in Statibus Foederatis, 54; regularis quoad electionem, 178; debet esse eligendus, 185; percussio clerici, 236.
Collatio in electione triplex, 201 sq.

Collectiones Juris Reg., 16.
Commendam Abbatiam, 218 sq.
Communicatio privilegiorum non datur quoad Pontificalia, 254; quomodo habetur, 310; quando non habet locum, 311 sq.
Communionis S. receptio quoad moniales, 133; numerum Comm. nequit restringere confessarius, 391.
Compromissum in electione Praelatorum, 176.
Coarctatio suffragiorum, 191 sq.
Conditio quoad consuetudinem, 13 sq.; servilis quoad ingressum in Relig., 46; posita in prof., 87; conditiones quoad procuratorem ad electionem, 181 sq.; saecularisationis, 344; transitus ad aliam Relig., 349; expulsionis, 355 sqq.
Conferentiae dioec. adsint regg., 262, 322.
Confessarius quoad frequentiam S. Comm. sororum, 133; clausuram monialium, 164; quoad casus regularium reservatos, 238; regularium deputatur a Superiore, 240; monialium, 244 sq., 286 sqq.; regularis quoad saeculares, 283 sqq.; eos audire potest etiam *in* monasterio, 284[1]; ordinarius, 287 sqq.; monialium Epo. subjectarum non potest esse regularis, 290; extraordinarius monialium, 292 sq.; sororum, 390 sq.
Confirmatio electi, 208; effectus eiusdem, 209; Abbatissarum, 213; confessarii ordinarii ad alterum triennium, 288 sq.; actorum capituli et Superiorissae in Congreg. relig., 380.
Congregationes religiosae participant de statu relig., 363 sq.; leges et methodus erectionis, 364 sq.
Conjuges quoad ingressum in Relig., 46, 52 sq.
Conscientiae manifestatio non potest exigi a Superiorissa, 374; cf. "Quemadmodum" in Append.
Consensus quoad prof., 86; electi requiritur, 206; capituli requiritur, 258; in alienatione, 307.
Conservatores regularium, 336.
Consilia evangelica, 18; consilium capituli, 258 sq.
Constitutio (vide Regula), 23; Ordines distinguit, 30; Congreg. relig., 365 sq.
Consuetudo, 12 sqq.; excusat ab observantia Regulae, 137; quoad expositionem SS. Euch., 281.
Conventus erectio, 31 sqq.; quidnam requiratur, 38 sqq.; designatus pro novitiatu in Italia, 74, 76, 88, 103; formatus quoad clausuram, 159.
Conversi novitii quoad instructionem, 77; aetatem ad prof., 84[2]; laici quoad clausuram, 158; non possunt eligere, 177[4]; conversae quoad electionem Abbatissarum, 211.
Convocatio capituli cui competat quoad regg., 257; quoad Congreg. relig., 378.
Corporationes in Statibus Unitis, 114.
Criminosi quoad admissionem in Relig., 55 sq.
Decimae non debent solvi a regg., 334.
Decretum electionis, 204; decreta legenda in conventibus, 261 sq.
Defensor validitatis prof., 103; quoad expulsionem, 353 sq.
Delinquentes regulares extra monasterium subsunt Ordinario, 328.
Depositio Superioris generalis, 384; Consultatricis, Magistrae novitiarum, 385.
Deputatio ad confessiones regg. audiendas, 239 sqq.
Devolutio juris electionis ad Superiorem, 202; quoad Superiorissas Congreg. relig. ad Ordinarium, 380.
Dies festivi quoad ordines s., 300

Dimissio simpliciter professi, 339 sq.; monialis, 343; sororum cum dispensatione Apost. Sedis, 396 sq.
Dispensatio a voto non accep- ignitates, 207; in legi- lesiae, 229; in prae- egulae, etc., 230; a 32; ab irregularitati- sq.; privilegia regg. isp. super irregulari- 333 sq.; a votis , 338; quoad moniales, 339[2]; a votis sol., 343; super observantia Constitutionum a Superiorissa, 383; quoad vota sororum, 396.
Divisio parochiarum et missionum, 266 sq.
Dominicani, 11, 30, 31, 70, 207, 208.
Dominium radicale quoad prof. simpl., 94, 95; bonorum temp. Ordinum, 300 sqq.
Domus principis translatio, 384.
Dos monialium, 65, 109; restituendam in transitu ad aliam Relig., 351 sq.; sororum Congreg. relig., 368 sq.; restitutio, 397.
Ecclesia propria quoad Pontificalia, 253[3] sq.; "sui Ordinis" quoad praedicationem verbi Dei, 272.
Egressus e monasterio quoad novitios, 71; ex clausura, 153; ad Superiorem petendum, 154; monialium e clausura, 160 sq.; legitimus e Religione varius, 338 sqq.; illegitimus, 355 sqq.; effectus, 358; e Congreg. relig., 396 sq.
Electio Praelatorum, 175; communis, 203; mala, 210; Abbatissarum, 210 sq.; Superiorum Congreg. relig., 379 sq.; officialium Congreg. relig., 381.
Elemosynas quaeritantes regg. indigent vel indulto apost. vel consensu Ordinarii, 327; leges quoad Congreg. relig., 389.
Episcopus (Ordinarius) quoad erectionem nov. conventuum, 33 sq., 36 sq.; virgines velandas, 42, 47; potest fieri religiosus, 53; quoad litteras testimoniales, 60 sqq.; examen puellarum, 64, 107; litteras dimissorias novitiorum, 81; renuntiationem bonorum, 96; reclamationem contra prof., 102 sqq.; numerum monialium figendum, 108; Regularis Ep. quoad paupertatem, 125; obedientiam, 135; saecularisatos, ibid.; observantiam Regulae, 137; breviarium, 142; habitum deferendum, 147; Ep. Ordinarius quoad clausuram monialium, 159 sq., 164; accessus ad moniales, 167; electionem Abbatissarum, 212; confirmationem Abbatiss, 213; confessarii approbationem, 242 sq.; divisionem parochiarum, 266; regularis potest fieri Ep., 271, 343; quoad asservationem SS. Euch. in oratoriis sororum. 275 sq.; approbationem regg. ad audiendas confessiones saecularium, 283 sq.; proprius quoad regg. ordinandos, 294 sqq.; examen ab ipsis subeundum, 297 sq.; quoad rationem reddendam de bonis temp., 302 sq.; alienationem, 306 sq.; casus in quibus regg. sunt ipsi subjecti quâ Ordinario, 323 sqq.; quâ Delegato Apost., 337 sqq.; quoad erectionem Congreg. relig, 365 sq.; debet certior reddi ante prof. religiosarum, 369; quoad clausuram sororum, 374 sq.; confirmat acta Capituli et electionem, 380; eius relatio ad Congreg. relig., 387 sqq.
Erectio nov. conventuum, 31 sqq.; Congregationum relig., 364 sq.
Eucharistiae SS. asservatio, 274; expositio, 280 sq.; administratio, 281 sq.
Exactiones solvendae a regg., 336.

Examen subire tenentur regg. approbati ad confessiones saecularium audiendas, 285 sq.; quoad regg. ordinandos, 297 sq.
Examinatores synodales possunt esse regulares, 270.
Excommunicatio in clausuram vir. violantes, 156 sq.; in monialium, 160, 162, 165; quoad electionem, 179, 183, 188; monasterialis, 247; ecclesiastica, ibid.; potest infligi a Superiore post processum, 248; contra administrantes viaticum illicite, 282.
Exemptio novo Ordini concedenda, 28; regg., 220 sqq.; quoad parvos conventus, 320; Italiae, 321; in Anglia et America Sept., 321.
Exercitia spiritualia post revaliditationem prof., 70; in admissione novitiarum Congreg. relig. ad prof., 369.
Expositi quoad paupertatem, 124; confessarium, 244 [1]; conferentias, 262.
Expositio SS. Euch. in ecclesiis regg. et oratoriis, 280 sq.
Expulsio (Ejectio) novitiorum, 71; quando potest fieri, 355; conditiones, ibid. et sqq.
Extremae Unctionis administratio, 294.
Famae defectus quoad ingressum in Relig., 55.
Familiares regg. et monialium quoad confessarium, 240 sq.; administrationem SS. Eucharistiae, 281 sq.; quoad privilegia regg., 322.
Feria V in Coena Domini missa dicenda, 278 [3] sq.
Filii quoad admissionem in novitiatum, 51.
Fontes Juris Reg., 12.
Forma electionis invalida, 206; quoad Abbatissarum electionis, 212 sq.; praesentationis, 217; dimissionis simpl. professi, 340; habitus quoad sorores, 375 sq.
Formula professionis religiosarum approbari debet a S. Sede, 370.
Franciscani, 11, 30, 31, 66, 115, 116, 207 [6], 208.
Fugitivi qui sunt etc., 359 sq.
Functiones s. in oratorio sororum, 277 sq.; hebdomadae maioris Tridui, 278 [3] sq.
Fundatio nov. Ordinis, 26 sqq.; praxis nova, 28.
Generalis Ordinum quoad novitios, 74; potestatem, 174; expulsionem professorum sol., 357 (cf. *Praelatus, Superior*).
Habitus gestatio pro novitiis, 69; obligatio deferendi, 146; forma quoad sorores, 375 sq.
Haeretici quoad vocem passivam in electione, 186.
Hebdomadae s. functiones, 278 [3] sq.
Homicidium quoad admissionem in Relig., 55.
Hospitalia (Sororum) subjacent Epi. jurisdictioni, 390.
Hospites quoad sepulturam, 330.
Jejunium eccles. dispensatio, 229.
Illegitimi quoad ingressum in Relig., 50; professionem, 93 sq.; praelaturas, 186; abbatissas, 211.
Imago picta a religiosis non est materia paupertatis, 118; insolita non debet exponi a regularibus, 317 [1].
Impotentia excusat ab observantia Regulae, 137.
Immunitas servitiorum (priv.), 319.
Incolae interrogandi quoad erectionem conventus, 37.
Incorporatio beneficiorum varia, 265.
Indignum eligentes, 183 sq.; electum, 205.
Indulgentiae quoad novitios, 80; in prof., 92; non possunt communicari vi privileg. communicationis, 311; promulgendae cum licentia Ordinarii, 324; Superiores suis concedere possunt, 331.

Indultum Apost. pro erectione novi conv., 32; quoad asservationem SS. Euch., 275 sq.: alienationem, 304 sq.; requiritur pro gravioribus negotiis Congreg. relig., 381.
Infames quoad electionem, 188.
Infantium cura non convenit sororibus, 393.
Infirmitas quoad dimissionem professi simpl. superventa, 339; jam existens ante prof., 340.
Informatio circa qualitates admittendorum, 60 sqq.
Ingressus in Relig., 41 sqq.; in clausuram virorum, 155; monialium, 163.
Instituta duplicia, 29; pia relate ad statum religiosum, 364.
Interdictum quoad electionem, 183, 188; infligendum a Superioribus, 248; quoad divinum officium et missam, 279 sq.
Interpretatio privilegiorum, 313 sq.
Interstitia servanda regularibus, 299; exceptio in nostra regione, 300.
Invaliditas prof., 98 sqq.
Irregularitas aufertur per prof., 93; quoad vocem act., 179; quoad vocem pass., 186, 188; dispensatio ab, 234 sq., 333.
Italiae conventus quoad novitiatum, 74, 161, 88, 103; exemptionem, 321.
Itinerantes regg. quoad confessarium, 241 sqq.
Juramentum praestandum ante electionem, 194.
Jurisdictio Superiorum, 172; Abbatissarum, 173[1]; Superiores Ordinum gaudent, 226 sqq. (cf. *Potestas*).
Jus suffragii (cf. *Vox*); electi, 206 sq.; funeris quoad regg. suppressos, 330.
Ladies of the Sacred Heart, 276.
Lectio decreti de litteris testimon., 64, et appendix; S. Scripturae in conventibus requiritur, 260; variorum decretorum, 261 sq.
Lectores excusantur a choro, 139.
Legatum (donatio) quod novitius accipere potest, 78; professus nequit renuntiare, 119.
Lex definitur, 227; dispensatio in legibus Ecclesiae, 229.
Libertas quoad ingredientes in Relig., 44; defectus libertatis, 51 sqq.; quoad electionem, 190.
Librorum censura subjacet Ordinario, 324.
Licentia Epi. quoad nov. conventus erigendos, 32 sq.; in America, 34; quoad monialium conventus, 35; Vicarius Generalis potestne dare, 35; leges quoad lic. dandam, 36 sqq.; Superioris quoad peculium, 123 sq.; ad egrediendum e clausura, 153, 161 sq.; ad ingrediendum clausuram monialium, 165; quoad accessum ad moniales, 167; praedicationem, 273; Ordinarii quoad eleemosynas quaeritantes, 327.
Litterae testimoniales pro ingredientibus, 60 sqq.; suffragium dari nequit per litteras, 182; testim. et dimissoriae quoad ordines s., 295 sq.; dimiss. in transitu, 350; aperiri et obsignari possunt a Superiorissa, 373.
Locus novitiatus, 74, 75 sq.; electionis, 189.
Magister novitiorum 75; eius electio, 77; eius aetas, ibid.; socius, ibid.; quoad eius potestatem, ibid.
Magistra novitiarum a qua constituitur, 368; electio, 381; depositio, 385; aetas, 387.
Manuscripta non includuntur in paupertatis voto, 117.
Matrimonium post votum simpl., 21; post vot. sol., 22; ratum, 52; consummatum, ibid.; post prof. sol., 95.
Mendicantes eorum origo, 11, 30; quoad exemptionem, 223;

communicationem privil., 310 sq.; potestatem dispensandi, 333.
Methodus approbationis Congreg. relig., 365.
Metus quoad professionem, 85.
Militiae adscripti regg. quoad litteras testim. et dimiss., 297.
Minimi S. Francisci a Paula, 229.
Missa quoad professionem faciendam, 88; conventualis, 143; regulares non tenentur ad M. de feria, ibid.; concordet officio vel oratorio, 144; de Spiritu S. ante electionem 195; audita in oratoriis semipublicis sufficit praecepto 279; feria V. in Coena Domini, 278[3] sq.; Missarum reductio prohibetur regg., 301; celebrari potest hora II. post mediam noctem, 331; in professione religiosarum 369 sq.
Mitigatio Regulae introducenda, 224 sq.
Mobilia pretiosa in alienatione, 307.
Monachismi historicus progressus, 10 sq.
Monasteria tenentur ad parsimoniam, 115.
Moniales quoad Instituta duplicia, 29; Regulam, ibid.; conventus earum, 32, 34 sq., 38; numerum, 40; admissionem puellarum, 57, 58; litteras testim., 62; dotem, 65; novitiatum, 70, 75; novitias, 80; professionem, 83, 91, 92, 107; obedientiam, 128; officium div., 141; Breviarium et Calendarium, ibid.; missam convent., 144; clausuram, 159 sqq.; accessus ad mon., 166 sqq.; confessarius earum, 244, 291 sqq.; quoad asservationem S.S. Euch., 274; administrationem bonorum, 303; privilegia, 313; privilegium quoad officium div., 332.
Munera prohibentur religiosi elargiri, 118.
Necessitas gravis, etc., 51[3] (vide *Filii*).
Negotiatio prohibetur regg., 149 sq.
Negotia graviora quae indigent consensu Capituli, 258; consilio, ibid.; Congreg. relig., 381, 385.
Novitiatus definitio, 66; erectio, 67; tempus, 68 sqq.; continuitas, 70; interruptio, 71 sq.; prorogatio, 73; locus, 74 sq.; qualitates loci, 75; iterari debet in transitu ad aliam Relig., 351; Congreg. relig., 368 sq.
Novitius quoad pensionem in admissione, 66; infirmitatem, 72; eorum disciplinam, 76; obligatio, 77 sq.; jura, 78; quoad renuntiationem bonorum, 78 sqq.; privilegia, 80 sq., 313; absolutionem, ibid.; libros edendos, 81; confessarium, 240; sepulturam, 329; in Congreg. relig., 368 sq.
Numerus certus religiosorum novi conventuus, 39; quoad exemptionem in America et Anglia, ibid.; eligendorum, 191 sq.; eligentium, 192; maior in electione, 202.
Obedientia ex voto simpl., 21; ex voto sol., 22; cui debetur, 128; ad quid obliget, 129; quosnam obliget, 134 sq.; quoad Congregationum relig. membra, 371.
Oblati quoad ordines s., 256; quoad exemptionem, 322.
Obligatio ex votis, 112 sqq.; quoad observantias, 135 sqq.; ad officium divinum, 138 sqq., 142; ad pristinum rigorem Regulae, 225; quoad pauperatem in Congreg. relig., 371 sq.; castitatem, 372; obedientiam, 373; Superiorissae generalis, 382.
Observantia Regulae, 136 sqq.; causae excusantes ab, 137 sq.
Officium divinum quinam teneantur ad, 138 sq.; privata

recitatio, 142; (munus) Abbatissarum durat, 214; quoad occupatos studio s. theologiae, infirmos et infirmarios, 332; moniales, ibid.; B. M. V. recitandum a sororibus, 374.
Operarii quoad clausuram monialium, 164.
Oratoria Sororum quoad asservationem SS. Euch., 275 sq.; quoad praeceptum s. Missae audiendi, 279; subsunt Epi. jurisdictioni, 390.
Ordines religiosi varii, 29 sq.; formales quoad clausuram, 154.
Ordines sacri a novitio suscipiendi, 81; minores conferre possunt Abbates, 255; subdiac. et diaconat. quoad Abbates Cistercienses, 256; a quo petendi sunt regg., 294 sq.; sodalibus Congregationum relig., 389.
Parentes ingredientes Religionem, 51.
Parochus interrogandus in erectione conventus, 37 sq.; regulares possunt esse parochi, 269; eius jura quoad Instituta Congreg. relig., 394.
Parvi conventus, 320.
Patrini non possunt esse regulares, 149.
Patroni quoad ingressum in Relig., 55; praesentationem, 217.
Paupertas ex voto simpl., 20; ex voto sol., 22; quoad monasteria, 115; ad quid obliget, 116 sqq.; quid non includitur, 117 sq.; in Congreg. relig., 372.
Peculium quid sit, 119 sqq.; introducendum, 121.
Percussio clerici, 236.
Perfectio, 9; acquirendae et acquisitae, 10, 18.
Pensio (dos) virorum in ingressu, 65; a gubernio religiosis suppressis solvenda, 354.
Persona juridica, 113 ².
Poenae contra personam inhabilem admittentes, 56 sq.; contra non observantes decr. de litteris testim., 63; remissio poenae in prof., 92; contra non observantes clausuram, 155, 157, 159; quoad accessum ad moniales, 168 sq.; sunt variae, 231; dispensatio a poenis, 232 sq.; infligi possunt a Superioribus, 246 sqq.; pro fugitivis religiosis, 360; pro apostatis, 361.
Poenitentiae sacramenti administratio, 283 sqq.
Pontificalia peragere potest Praelatus, 252 sqq.
Possessio bonorum quoad monasteria, 113.
Postulantes debent habere litteras testim., 62; in ordinibus s., 63; quoad illos ex alio Ordine, ibid.
Postulatio in electione, 214 sq.
Potestas Superioribus Ordinum participata, 171; triplex, 172; dominativa, 224 sq.; jurisdictionalis, 226 sqq.; absolutiva, 235 sqq.; coercitiva, 246 sqq.; liturgica, 252 sqq.; quaenam excedant potestatem Superiorum Congreg. relig., 384.
Praecepta definitio, 227; imponere possunt Superiores, 228.
Praedicatores excusantur a choro, 139; praedicare possunt regulares in eccl. propriis etc., 272 sq.
Praelatus quoad admissionem ad prof., 90; reclamationem contra prof., 103; clausuram monialium, 165; potestatem, 173; gradu diversi, ibid.; quoad potestatem variam, 226 sq.; dispensationem, 339 sqq.
Praescriptio quoad consuetudinem, 14; exemptionem, 221.
Praesentatio in electione, 215 sqq.
Prior claustralis et conventualis quoad confessarium deputandum, 245.
Privilegium exemptionis (historia), 222 sq.; definitio, 309;

acquisitio, ibid. et sq.; usus huiusque effectus, 312; interpretatio, 313 sq.; privilegia regg. post Tridentinum, 315, sq.; canonis, 318; immunitatis servitiorum, 319; fori, ibid.
Probatio requiritur ab antiquis Regulis, 41.
Processiones ad quas tenentur regg., 324.
Processus in reclamatione invalidae prof., 103 sqq.; electionis, 189 sqq.; in infligendis censuris, 248 sqq.; in expulsione professorum sol., 35 sq.
Procurationes solvendae a regg., 336.
Procurator quoad electionem, 180 sqq.
Professio definitur, 82; dividitur, ibid. et sqq.; requisita ad validam prof., 83 sqq.; prorogatio simpl. prof., 84 sq.; conditiones morales, 85; in cuius manus fit, 92; effectus, ibid. et sqq.; invalida, 98; ratificatio invalidae prof., 98 sqq.; professio nulliter emissa an votum simplex, 105; formula, 370; religiosarum in manus Superiorissae, ibid.
Proprietarii religiosi quoad electionem, 183.
Protector (Cardinalis) regularium, 337; Congregationum relig., 395.
Provincialis (cf. *Praelatus*) quoad admissionem novitiorum, 59; litteras testim., 63; prorogationem novitiatus, 84; dispensationem ab irregularitate, 93; potestatem, 174; expulsionem profess. sororum sol., 357.
Publicatio votorum (suffragiorum), 200; eius effectus, 201.
Puellae recipiendae, 57 sq.; quoad examen subeundum, 64; impuberes quoad clausuram, 156, 163; acatholicae ne admittantur ad instituta educationis, 394.
Pueri oblati a parentibus, 44 sq.
"*Quarta funeris*," 330[2].
Quasi-Inspiratio in elect. Praelatorum, 176.
Quinquennium quoad prof. invalidam, 102, 104 sq.
Ratificatio invalidae prof., 98 sqq.; tacitae prof., 99.
Rationabilitas consuetudinis, 13.
Rationis reddendae obnoxii, 54; sunt regulares missionarii Episcopo quoad varia, 302.
Reclamatio contra invalidam prof., 102; in Congreg. relig., 371.
Recursus ad S. Sedem post expulsionem, 357.
Redemptoristae, 28, 294[2], 320.
Reductio Missarum regularibus prohibita, 301.
Reformatio ad pristinum rigorem, 129 sq.
Regimen regularium, 170 sqq.; ad intra, 174; subjectum reg., 175 sqq.; objectum reg. ad intra, 220 sqq.; ad extra, 263 sqq.
Reginae (Imperatrices) quoad clausuram virorum, 156, 163.
Regula definitur, 23: triplex eius approbatio, ibid. et sq.; distinguit Religiones, 30; eiusdem observantia et obligatio, 136 sq.; mitigatio, 224.
Regulares quoad accessum ad moniales, 168.
Relatio Congregationum ad Ordinarium, 387 sqq.; ad confessarium, 390 sqq.; ad extraneos, 393.
Religiosi alterius Ordinis quoad admissionem, 54.
Reliquiae non sunt materia voti paupertatis, 118; pretiosa mobilia, 307; insolitae non possunt exponi a regg., 317[1].
Renuntiatio bonorum novitiorum, 78 sqq., 96 sq.; privilegiorum, 314.
Reservatio casuum quoad novitios 75; facultatis testandi ante prof., 86; casuum ex

Clem. VIII decr. quoad regg., 237 sq.
Residentia consilii generalitii, 386.
Restitutio in integrum quoad inval. prof., 104; dotis, 110; dotis sororum, 397 sq.
Revocatio privilegiorum, 314; quaenam respiciat privilegia rev. Conc. Trid., 315 sqq.
Rituale in professione utendum, 88.
Ritus professionis antiquus, 46, 47[3] et sqq.; in professione, 87.
"Romanos Pontifices" Constitutio Leonis XIII, 34, 39, 267, 321, 322.
Rubricae quoad missam, 144.
Sacristia an intra clausuram, 152.
Saecularisatio dividitur, 344; conditiones ad, ibid. et sqq.; effectus, 346 sq.
Saecularisatus quoad novitiatum repetendum, 72; paupertatem, 126; obedientiam, 136; observantiam Regulae, 138; habitum relig., 147; conditiones ut quis saecularisationem obtinere possit, 344 sq.
Scrutatores in electione praelatorum, 195 sq.; scrutatrices in capitulo Congreg. relig., 379.
Scrutinium in electione Praelatorum, 177; quomodo fiat 195 sqq.
Sepultura regg. et monialium ubi, 329.
Simonia non est dos danda, 109; quoad electionem, 187; est vitium electionis, 205.
Societas Jesu, 11, 21, 30, 48 sq., 73, 79, 115, 142, 208, 294, 311, 361.
Sodomia infecti non possunt eligi, 187.
Sorores earum confessarius, 288; quoad sacramenta ipsis danda, 290; extraord. confessarium, 293; quando jus habeant talem adsciscendi, ibid.
Status notio, 9; religiosus, 10; eius historia, ibid. et sq.; definitio stat. relig., 17; explicatur def. stat. religiosi, 17 sqq.
Statuta definitio, 227; condere possunt Superiores regg., 277 sq.
Subditi ratione confessionis, 240.
Suffragia danda quomodo, 196 sqq.; conditionate, 189; scripta, 199.
Superior legitimus quoad prof. acceptandam, 89 sq.; reclamationem invalidae prof., 103; peculium, 120 sqq.; officium divinum, 139; si deliquerit, 148; regularis in electione Abbatissarum, 212; gaudet potestate jurisdictionali, 226 sqq.; quoad praecepta et statuta imponenda 229 sq.; dispensationem in legibus Ecclesiae, 229; in praeceptis, 230; confessiones subditorum, 239, 392; deputationem confessariorum regg., 240 sq., 245; saecularium, 283 sq.; confessarium extraord. dare debet, 293; legitimus quoad dimissionem professi, 342 sq.; obligatio eius quoad fugitivos et apostatas religiosos, 362.
Superiorissa quoad potestatem dominativam in suas, 225; obligationem subditis imponendam, 373; non potest exigere aperitionem conscientiae, 374; qualitates, obligationes et jura, 382 sq. nequit prohibere vel permittere accessum ad S. Communionem, 392.
Suppressio Ordinum et monasteriorum, 352 sqq.; quid sit agendum religiosis vi suppressis, 353.
Suspensio quoad electionem, 183, 188; ex informata conscientia quoad confessiones audiendas, 251 sq.
Sustentatio pro erigendo conventu, 38.

Synodis dioec. adsint regulares missionarii, 322.
Taxatio dotis, 110.
Telephonus ad licentiam petendam, 167.
Tempus originis monachismi, 10 sq.; probationis antiquitus requisitum, 41; quoad virgines s., 42; professionis, 88; electioni praefixum negligentes, 184; electionis, 190; quoad praesentationem, 217; ordinatio extra tempus, 299 sq.
Testamentum quoad sol. professos, 96, 119; saecularisatos, 347 sq.
Titulus ordinationis quoad regg., 298; religiosos vot. simpl., ibid.
Tractatus praevius in electione, 192 sq.
Traditio Deo facta, 22 sq.
Transitus novitii ad aliud monasterium, 71[5]; de statu laicali ad clericalem, 72 sq.; dos restituenda in transitu, 110; transeuntes de una ad alteram Relig., 348 sqq.; effectus et consequentiae, 350 sq.; a Congreg. relig., 396.
Triennium muneris confessarii ordinarii, 287 sq.
Trinitarii, 112.
Tutores quoad ingressionem in Relig., 55.
Usus privilegiorum derogat juri, estque liber, 312.
Vicarius Capitularis quoad licentiam dandam, 35; in renuntiatione bonorum, 96.
Vicarius Generalis quoad licentiam dandam, 35; in renuntiatio bonorum, 96; potestne esse regularis, 270 sq.
Virgines sacrae, 29; quoad tempus probationis, 42; aetatem, 43.
Vis quoad egressum novitii, 72; professionem, 85; electionem, 191.
Visitatio ecclesiarum regg. quando competat Ordinario, 326; domuum Congreg. relig., 382.
Visitatione, Moniales a, quoad vota, 376; quoad confessarium, 291, 376.
Visitatores eorumque officium, 259 sq.
Vitalitia, 122 (vide Peculium).
Vitium electioni svarium, 205 sq.
Vocatio religiosa, 57.
Votum definitur, 18; dividitur, 19; effectus voti simpl., 20; sol., 22; vota novitiorum, 81; emissa ante prof. distinguuntur, 95; nullum praeter tria substantialia permittitur in Congreg. relig., 370.
Vox activa, 177 sqq.; privati voce act., 179; passiva, 184 sqq.; privati voce passiva, 186; in Congreg. relig., 378 sq.; nequit dari vel tolli per Superiorissam, 384.

PRINTED BY BENZIGER BROTHERS, NEW YORK.

26478